



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1602**

Capita Libri Octauī sunt XXVII. De primo præcepto decalogi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14077**

Duodecimò quæritur, An qui in die Paschatis Eucharistiæ Sacramentum accipit indignè, videlicet, aut sua peccata non legitime confessus, aut alio quolibet modo lethalis peccati conscius, Ecclesiæ præceptum impleat? *Respondeo*, eum implere; is enim licet ius diuinum frangat, ac violenter malè ad Sacramentum accedendo, legis tamè Ecclesiasticæ substantiam seruat. Nimirum Ecclesia nihil aliud sua lege sanxit, nisi vt in Paschate ad sacra Eucharistiæ misteria accedentes, eius participes efficiamur. *ROGABIS*, an idem sit iudicium de eo, qui excommunicatione, vel interdictione adstrictus ad hoc Sacramentum accedit? *Respondeo*, eum quidem peccare, ac non solum contra ius diuinum; sed etiam contra ius Canonicum siue Ecclesiasticum facere. Ius enim diuinum prohibet, ne malè quis accedat; & ius Canonicum in vniuersum excommunicatos & interdictos à Sacramentis excludit, ac prohibet: attamen ab eo susceptum indignè Sacramentum, est implere videtur. Lex enim Ecclesiastica, qua excommunicati à Sacramentis arcètur, ipsum accessum & aditum ad ea cum peccato, cõdemnat quidem, ac factum non semper irritum reddit, vt suo loco fuissus explicabo. Sciendum est, Durandum in 2. dist. in 28. q. 4. Capreolum in 2. dist. 41. q. 1. art. 3. sentire, hoc præceptum impleri non posse sine gratia sanctificante: immo generatim aiunt, præcepta Sacramentorum supernaturalia seruari nequire sine gratia. Sed illi fortassis solum loquuntur de præcepto diuino, non Ecclesiastico. Solum itidem significant, eum, qui peccati lethalis conscius, suscipit Sacramentum, denuo sacrilegium committere; quia indignè Sacramentum accipit, eum verò, qui lethalis peccati reus, sed bona fide putans se legitimum peccati contritionem habere, ad Sacramentum accedit, implere quidem præceptum diuinum de suscipiendo Sacramento, sed non sine gratia adoptionis comitante, quâuis sine gratia antecedente, nam per ipsum Sacramentum gratiam consequitur. *Adrian. in 4. de Confess. questio. vltim. generatim docere videtur, nullum præceptum, siue diuinum, siue humanum, implere posse per opus malum. At communis est sententia Theologorum, hoc præceptum seruari, quamuis lethali ter peccet, qui indignè suscipit Eucharistiam. Sorus lib. 2. de Iustit. q. 3. art. 10. Couarruias in ca. Alma mater de sentent. excommun. in 6. part. 1. §. 5. Cordub. in Sum. Casuum q. 15. Nam cætera præcepta implentur, tametsi ea quis peccando impleat; vt si quis rem diuinam audiat, ieiunium colat, Baptismum, vel Confirmat. Sacramentum suscipiat, votum, vel iusiurandum seruet.*

Vltimò quæritur, An si quis præuideat futurum, vt intra illos quindecim Paschales dies, Eucharistiam accipere non possit, debeat præuenire tempus, & ad sacram Communionem accedere? *Respondeo*, ad id faciendum præcepto non cogi: quia id nullus (quod sciam) hætenus dixit: nec id habet vsus Ecclesiæ: Nec is præuenire debet diem ieiunij; nec ante diem festum rem diuinam audire: nec hodie recitare Diuinum officium, quod die crastino recitare non poterit.

(.)

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI, E SO-  
CIIETATE IESV,  
INSTITVTIO-  
NUM MORALIVM,  
LIBER VIII.  
DE PRIMO PRAECEPTO  
Decalogi.

CAPVT PRIMVM.

De ijs, quæ ad Fidem pertinent.

**P**

PRIMO quæritur, Quidam primum Decalogi præceptum complectatur? *Respondeo*, primo præcepto prohiberi, & damnari omnem Idolorum cultum, superstitiones, & vanas observationes, omnem artis Magicæ diuinatoriæ vsum: Deinde, præcipi, quæ spectant ad Religionem, quæ virtus vni Deo vero cultum, honorem, & Venerationem iustam, ac debitam tribuit. Est enim Deus summo honore, cultu, & veneratione dignissimus. Imperat ergo, ne vllam prorsus rem creatam, quamuis excellentem pro Deo habeamus: vt soli vni Deo æterno, immenso, & omnipotenti singulari, & summum cultum, quem Græci *Latina* appellant, tribuamus, ipsi soli sacrificium offeramus, ipsum super omnia innocemus, vt Optimum, & Maximum, Creatorem, Redemptorem, Saluatorem, hoc est, omnis naturæ auctorem, gratiæ, & gloriæ largitorem.

Secundò quæritur, Quid aliud ad primum Decalogi præceptum reuocetur? *Respondeo*, ad hoc præceptum redigi, quæcumque pertinent ad tres virtutes, quas Theologorum schola Theologica vocat, Fidem nempe, Spem, & Charitatem: nam fide, & spe, & charitate Deum colimus, & veneramur: quia teste Augustino in Enchirid. cap. 2. *quæritur, quo colitur Deus: Respondeo, fide, spe, & charitate. Non tractabo hoc in loco eas fidei quæstiones, quæ potius in cognitione, quam in actione sunt positæ: eas rejicio ad secundum Tomum: vbi ante omnia de numero, ordine, vi, & natura trium virtutum Theologicarum breuiter disputabo: in præsentia de ijs solum agam, quæ potius ad actionem spectant.*

Tertiò quæritur, Quid fidei nomine accipiatur? *Respondeo*, in præsentia, fidei appellatione intelligi virtutem diuinitus infusam, qua illustratus homo certò, & firmiter assentitur, & adheret ijs, quæ vt credantur, sunt à Deo patefacta, & ab Ecclesia nobis proposita. Quare, fides non spectat ad naturæ ordinem, non innitur sensuum experientia, non potentia, sapientia, aut ratione humana, sed virtute, testimonio, & aucto-

ritate



ritate diuina, quæ nec fallere vnquam, nec falli potest: subijcit omnem intellectum, & mentem in obsequium Christi Domini: Est lumen animæ, donum Dei, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ, iustificacionis initium.

**Quarò queritur,** Quæ nam sint diuinitus reuelata, & ab Ecclesia propofita ad credendum? **Respondeo,** in primis ea esse, quæ in libris sacris, & canonicis continentur, sed quotnam sunt, & qui libri Canonici? **Respondeo** ex Concilio Tridentino *Sessione quarta*, esse qui sequuntur. Testamenti quidem veteris quinque, Moſis Legislatoris, hoc ordine, Genesim videlicet, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium: Iosue quoque librum, & Iudicum, Ruth, quatuor Regum libros, duos Paralipomenon, Esdræ primum, & secundum, qui dicitur Neemias, Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmis comprehensum, Parabolas, seu Prouerbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Eſaiam, Hieremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem, Duodecim Prophetas minores, id est, Oseam, Ioelem, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggeum, Zachariam, & Malachiam, duos Machabæorum, primum, & secundum, Testamenti verò Noui Quatuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, Actus Apostolorum à Luca Euangelista descriptos, quatuordecim Epistolas Pauli Apostoli; nimirum vnam ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Theſſalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum vnam, alteram ad Philemonem, postremam ad Hebræos: Petri Apostoli duas, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vnam, Iudæ Apostoli vnam, & Ioannis Apostoli Apocalypsin.

**Quinò queritur,** Qui libri Canonici sint ij, de quibus olim Ecclesiastici aliqui scriptores dubitarunt, tales ne essent? De hac questione Canus *libro secundo, de loco Theolog. capite nono, Medin. de reſ. in Deum fide. libro sexto, capite, septim.* **Respondeo,** libros, qui in Biblijs Græcis, vel Latinis haberi solent, esse triplicis ordinis: alios quidem, qui apud Patres semper habiti sunt pro sacris, & Canonicis, nimirum, quinque libros Moſis, seu Pentateuchum; item Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralipomenon, Esdræ primum, & secundum, Iob, Psalterium, centum quinquaginta Psalmis contentum, Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, quatuor Prophetas maiores, quos vocant, Eſaiam nempe, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, & Duodecim minores, Oseam, Ioelem, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggeum, Zachariam, Malachiam, Quatuor Euangelia, Acta Apostolorum, Epistolas Pauli tredecim præter eam, quæ est ad Hebræos, primam Petri, & primam Ioannis.

Libri porro, de quibus aliquando scriptores Ecclesiastici dubitarunt, sunt hi; Liber Esther, Tobit, Iudith, Sapientia, Ecclesiastici, Baruch, Machabæorum primus, & secundus, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, secunda Petri, secunda item, & tertia Ioannis, Epistola Iudæ, Apo-

calypſis Ioannis Apostoli. Alij verò libri semper habiti sunt in Ecclesia, & etiamnum habentur apocryphi, hoc est, canonicam auctoritatem non habentes, nempe liber tertius, & quartus Esdræ in Latinis Biblijs: Oratio Manassæ Regis, in fine secundi libri Paralipomenon annexa, Appendix in fine libri Iob in Græcis Biblijs: Psalmus centesimus quinquagesimus primus in græcis Codicibus: Appendix præfixa Threnis Hieremiæ, in quibusdam latinis Codicibus: tertius, & quartus libri Machabæorum in græcis Codicibus.

**Sextò queritur,** An omnes libri Canonici integri cum omnibus suis partibus pro sacris, & canonicis habeantur? **Respondeo** ex Concilio Tridentino *Sessione quarta*, pro sacris haberi. Verba Concilij sunt: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris non susceperit; anathema sit.* Hæc ibi. Vnde etsi olim Ecclesiastici viri de quibusdam partibus librorum Canonicorum, quos supra retulimus, dubitauerint, nunc tamen nobis ambigere non licet. **QVAERES,** quænam sint huiusmodi partes? **Respondeo,** esse sex vltima capita libri Esther, Orationem Azariæ; & Hymnum trium puerorum in capite tertio Danielis: Historiam Susannæ in capite 13. eiusdem: Narrationem Belis draconis capite 14. eiusdem Danielis: Vltimum caput Marci Euangelistæ: Historiam mulieris in adulterio deprehensæ apud Ioannem capite octauo. Historiam sudoris sanguinei, & Angeli Christum Dominum consolantis. *Lucæ 22.* & illud quod habetur 1. Ioannis 5. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* De his partibus nihil est amplius hæcandum, quoniam in Ecclesia Catholica legi solent, & in veteri vulgata Latina editione habentur, non vt appendices; sed vt partes Canonicorum librorum.

**Septimò queritur,** An tres versus in Psalmo decimo tertio; *Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contriſio, & infelicitas in vijs eorum; & viam pacis non cognouerunt; non est timor Dei ante oculos eorum.* An inquam, hi tres versus pertineant ad Psalmum decimum tertium. De hac questione Canus *libro secundo, de loc. Theolog. capite 13. in conclusione 3.* Duæ sunt opiniones, prima est dicentium hosce tres versus ad prædictum Psalmum, tanquam partes eius pertinere, quia videlicet eos Paulus ad Romanos capite 3. citauit. **Deinde,** quia ante Augustini, & Hieronymi tempora in vulgata editione latina Psalm. 13. legi soliti fuerant. Postremò, quia Augustinus, Rufinus, Beda, Remigius, & alij complures interpretes Latini eos legunt, & interpretantur in Psalmo 13.

Secunda opinio est aliorum aientium, hos tres versus non spectare ad Psalmum decimum tertium tanquam partes eius. Quod sic illi probant: quia in nullis hebraicis codicibus leguntur, nec apud septuaginta interpretes. Item, quia ab antiquis Psalmorum interpretibus prætermittuntur, ab Arnobio inter Latinos; Chryso-



mo, Apollinari, Theodoret, Euthymio inter Græcos. Haymo præterea exponit eos; sed ait, nõ esse à Propheta editos; sed ex loco Pauli ad Roman. 3. acceptos, in Psalmum decimum tertium vsu esse inuictos. Cassiodorus scribit: non esse in Hebraicis exemplaribus: *Sed quia in vsu, inquit, longa Ecclesiæ consuetudine recepti sunt, singulos exponemus, prout nobis concessum fuerit.* Hieronymus testatur eos versus Apostolorum citasse, & in vnum veluti contextum, & seriem coniecisse ex diuersis Scripturarum locis. Hieronymus secutus est Beda *Athorun primos*, hoc idem ante Hieronymum tradiderat Origenes ad Roman. 3. & post Hieronymum, Theophylactus, & Oecumenius.

Mihi magis probatur prima sententia, quia Ecclesiæ vsu semper vulgata editio Latina Psalmi 13. legi soliti fuerit: Et existimo olim aliquos fuisse codices Hebraicos, in quibus legerentur ij versus, licet amplius non extent: Adde his, quod alia sunt, quæ tanquam Canonica, & sacra habentur; cum tamen in Codicibus Hebræis minimè legantur. Nam LXX. Genes. habent generationem Cainan, quam deinde Lucas Euangelista capite tertio probauit; sed in Hebraicis exemplaribus non est. Item Psalmo 113. Septuaginta, & vulgata editio Latina legunt integrum versiculum: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis*, quem versiculum in Hebraicis Codicibus deesse, & proinde eos esse mancos, ex eo constat, quod is Psalmus hebraicè conscriptus sit, & iuxta numerum, & ordinem litterarum alphabeti, & in Hebræo codice desideratur versiculum incipiens à littera Nun, hebraica: & tamen versicul<sup>9</sup>, quem Latina editio vulgata cum LXX. legit, *Fidelis Dominus, &c.* si hebraicè reddatur, erit integer Psalmus, constans toto ordine, & numero litterarum hebraicarum. nam vox, fidelis, hebraicè dicitur \*neaman, quod nomen incipit à littera Nun. Item in Psalmo 36. qui etiam totus hebraicè est compositus secundum ordinem, & numerum litterarum, Septuaginta interpretes, & Latina vulgata editio legunt: *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit*, ubi hebraica lectio manca omnino videtur, cum desit versus incipiens à littera Ain: & tamen hemistichium, quod Latini cum Septuaginta habent: *Iniusti punientur, &c.* si hebraicè reddatur, explet in Psalmo totum ordinem, & numerum litterarum hebraicarum. Iniusti enim hebraicè dicuntur \*auilim, quod nomen incipit à littera Ain.

Octauo queritur, An septem postrema capita, quæ habentur in libro Esther, videlicet, à decimo, vsque ad vltimum, sint in numero Scripturæ Canonice, vel partes verè libri Canonici, an potius sicut apocrypha scriptura? Sixtus Senensis libro 1. & 8. *Bibliotheca*, sic ait: *Septem postrema capitula libri Esther sunt extra sacram scripturam, vt apocrypha.* Et cum sibi obijciat Decretum Concilij Tridentini, quod iubet recipi omnes libros integros, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur. Respondet Decretum intelligi de veris, & germanis partibus, quæ ad librorum integritatem spectant, non autem de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis à quouis auctore incognito temere appositis, & vicumque astitis: qua-

lia sanè sunt huiusmodi vltima capita. Hæc ille. Quæ certè scribere non debuisset post Concilij Tridentini decretum. Nam satis indicat Concilium, hæc capita esse illius libri Canonici partes, non appendices: Siquidem ea legi solent in Ecclesia Catholica, & habentur in veteri vulgata editione, vt capita illius libri Canonici: alioqui cuique dubitare liceret de partibus aliorum librorum Canonice, vtrum sint partes, an appendices, vt ille dixit, assertæ. Nec pro Sixto facit, quod Hugo, Lyranus, Dionysius, Caietanus dixerunt, hæc capita esse apocrypha: quoniam id scriperunt ante Concilij Tridentini decretum. Nec Hieronymus ea dixit esse apocrypha; sed non haberi in hebraicis codicibus: immò dixit ea contineri in veteri vulgata editione. Et hoc sufficit: Nec enim hebraici codices sunt nobis certa regula Canonice librorum, & Origenes in epistola ad Iulianum Africitanum, ea capita tradit non in hebraicis, sed in vulgatis codicibus contineri.

Nonò queritur, An Tituli Psalmorum, Prophetarum, & Euangelistarum sint Tituli Canonici, & sacri? Respondeo esse, nam licet inter Ecclesiasticos auctores nonnulli aliquid fidei, & auctoritatis Titulis Psalmorum detraxerint, docentes eos aliqua ex parte esse adulterinos, & supposititios Titulos: mihi tamen magis probatur eorum opinio, qui censent, eos esse Canonicos, & sacros Titulos, siue sint ab auctore ipso Psalmorum editi, siue postea ab Esdra sacerdote, & doctore legis additi, siue ab Ecclesia adiecti: hoc enim, vt cumque se habeat, Tituli Psalmorum, Prophetarum, Euangelistarum, vel Apostolorum, sunt Canonici, & sacri Tituli: nam etiam si partes non sint eius scripturæ, cuius Tituli sunt: sunt tamen verè germani, & sacri Tituli, vt potè à Canone, & sacro auctore appositis, & adiunctis, vel saltem communi Ecclesiæ vsu approbati.

Decimo queritur, Penes quem, vt iudicem, sit auctoritas definiendi quinam sint libri Canonici, & internoscendi, ac discernendi inter Scripturas Diuinas? Respondeo, penes Ecclesiam quam voluit Christus Dominus teste Apostolo, esse columnam, & firmamentum veritatis: quæ tanquam magistra, custos, & interpret veritatis fidem, & auctoritatem inuiolabilem obtinet: pro qua rogauit, & impetrauit, vt fides, veritas, & firmitudo eius nunquam deficeret: cui promissit, & fideliter reliquit doctorem, præsidem, & rectorem Spiritum sanctum, qui doceret nos omnem veritatem ad sciendum, & credendum necessariam: quamque fundauit supra firmam petram vt stare immobilis, & inconcussa contra portas inferorum; hoc est, (vltata videlicet Scripturæ phrasi) contra omnem munitionem, robur, potètiã, & oppugnationem aduersariorum.

Vndecimò queritur, An Canonici libri ita sint Spiritu sancto dictante conscripti, vt non solum ipsas res, & sensus Spiritus sanctus dictando suggesterit, sed etiam singula verba atque voces: *Sunt quorundam sententia*, Scripturas ideo esse sacras, & diuinas; quia earum scriptoribus ita Spiritus sanctus astitit, vt res, & sententiis duntaxat sub-



ministraverit, vel de integro reuelando, quæ erant scriptori penitus occulta, & ignota; vel in ijs, quæ scriptori manifestæ, & euidenter constabant, ita eius mentem, & animum dirigendo, ne in scribendo, lapsu memorie etiam minimo, aut errore, vel malicia prolaberetur in vllum sensum falsum, non tamens, quod sic asserit, vt singula verba dictauerit, sed liberum scriptori reliquerit, vt sensum, quibus vellet, verbis exprimeret. Mihi tamen hæc sententia minimè probatur, nec tuto posse defendi videtur: nam tamquam certissimum existimo id, quod alij tradiderunt, Scripturas sacras ita esse cõditas, vt Spiritus sanctus, non solus res, & sententias dictando suppeditaauerit, sed etiam singula quæque verba instillarit, ac ministraverit, ita, vt Scripturæ verbum non tantquam hominis verbum, sed tantquam Dei verbum accipiendum sit: Sic enim Scripturæ vocant, & Gregorius in prolo. in Iob ait: *ipse Spiritus sanctus, hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit*; & Ambrosi. in proœmium Lucæ ait. *Euangelistæ diuino spiritu uerbatim dictorum uerumq; omnium ministrante sine ulla molimine capta compleuerunt, & propheta sape aiunt uerbum Domini, quod locutus est Deus per prophetam suum. Denique scriptura dictata est à Spiritu sancto: ergo eius uerba dictata sunt ab eo sicut dicitur Epistola dictata à Principe, cuius non solum res, sed uerba à Principe dictantur.*

Duodecimò quaeritur, An in minimis etiã scripturarum rebus, & uerbis possit admitti sensus aliquis falsus? Respondeo, minimè: quoniam sicut maxima; ita etiam Scripturæ minima Spiritu sancto dictante conscripta sunt: Deus autem absolutè, & simpliciter, nec fallere, nec falli potest. **QVÆRES**, an etiam in ijs hominib; quos Scripturæ introducunt loquentes Spiritus sancti afflatu, & instinctu, nullus error, vel lapsus memoriae sit admittendus? Respondeo nequaquam esse admittendum: quoniam per huiusmodi homines Spiritus sanctus loquebatur, qualis fuit B. Stephanus procomartyr, dum haberet ad populum conuersionem. In ijs uero hominibus, qui in sacris literis iaducuntur loquentes, non Spiritus sancti numine, & afflatu, potuit error esse. Tales fuere tres amici Iob, qui licet sapientes, non tamen in omnibus sapientes, & uerè locuti sunt: uti apud Iob extremo capite, ipsius Domini uerba declarant.

Caput II.

De eadem re, alie quæstiones soluntur.

**PRIMO** quaeritur, Penes quem sit auctoritas interpretandi Scripturas iuxta uerum, & germanum earum sensum? De hac quæstione Caius lib. 2. de locu Theolog. cap. 7. Medina lib. 5. de reitã in Deum fide, ca. 11. & sequenti. Respondeo ex Concilio Tridentino. 6. sessione quarta, esse penes Ecclesiam. ait enim: *Decernit sacrosancta Synodus, ut nemo sue prudentie iniuriam, in rebus fidei, & morum ad edificationem doctrinæ Christianæ pertinens, sacram Scripturam ad suos sensus conuertens, contra eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de uero sensu, & interpretatione scripturarum, interpretari audeat.* Hacten' uerba Concilij sunt. Scripturæ enim sacre aliquando sunt obscuræ, aliquando ambiguæ, aliquando etiam uidentur sibi inuicem contrariæ,

& aduersæ. Et ideo Ecclesiæ sensus, & interpretatio est certa norma, & regula. Nam exempli gratia, Scripturâ inquit: *Ego & Pater unum sumus*; & alio item loco ait, de Apostolis: *Et sint unum, sicut nos unum sumus.* Ecclesiæ magisterio didicimus primum testimonium intelligi secundum unitatem in natura, & substantia; secundum uero, ut sint unum, de animi, & uoluntatis consensione, esse accipiendum. Similiter Christus Dominus dixit: *Pater maior me est*, & de eodem Ioannes Baptista, *Qui ante me factus est.* Ecclesia interpretante docemur, primum illud: *Pater maior me est*, secundum humanam naturam assumptam intelligi debere, non item secundum diuinam: porro uerbum illud, *Qui ante me factus est*, id tantum significare; Qui ante me fuit, uel, Qui me antecessit. Præterea dubitari non potest, obscuram esse scripturam multis in locis: ergo nisi Ecclesia sensum declaret, certi esse non possumus: legimus, Christum Dominum tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ fuisse: neque enim facillè explicari potest, quo pacto inter mortem, & resurrectionem dominicam tres dies, & tres noctes intercesserint. Nec est item explicatum facillè id, quod S. Marcus ait: *Hora tertia erat, & crucifixum enim*; cum tamen ex Ioanne constet, hora quasi sexta fuisse Christum cruci affixum: quæ duo pugnare secum uidentur, nisi rectè explicentur, nisi Ecclesiæ, uel Sanctorum patrum magisterio rectè eorum locorum intelligentiam discamus.

Secundò quaeritur, An interpretari liceat alicui sacram Scripturam cõtra unanimum Patrum consensum? Profecto quicquid dixerit Caietanus in Proœmio in Genesim, constat ex Concilio 6. Generali A. 17. & ex Conc. Vien. ut habetur in clem. 1. De forma Trinitate, & Fide Cath. communè Sanctorum patrum sententiam, uel Scripturarum interpretationem seu intelligentiam in docendo aliquid ad rectam fidem spectas, pro Catholica auctoritate habendam esse, & contrariam sententiam, ut hæc etiam damnandam.

Respondeo itaque, Concilium Tridentinum sess. 4. in hunc modum definitiuisse: *Decernit, inquit, sancta Synodus, ut nemo sue prudentie iniuriam, in rebus fidei, & morum ad edificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus conuertens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de uero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiam si huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edenda forent.* Sic ibi. Ut hæc exemplis illustrentur, contra unanimum sanctorum Patrum consensum est, dicere, in Cantico Canticorum contineri colloquium exprimens solum amores humanos, & conjugales inter Salomonem, & uxorem eius: cum totum eiusmodi Canticum uerè per parabolas explicet amores inter Deum, & animam piam, & religiosam cultricem Dei. Item, dicere totam de Iob narrationem, non esse ueram rei gestæ historiam; sed tantum rei fictæ parabolam. Item, dicere; Iephthæ filiam uiam non immolasse; sed tantum Deo consecrassè, ut perpetuò inuupta maneret. Præterea dicere, quæ Genes. 2. referuntur de Eua ex cõsta Adæ procreata, non intelligi secundum historiam, quod

Ioan. 10. Infrã 17.

Ioan. 14. Ioan. 1.

Matth. 12.

Marc. 13. Ioan. 19.

Iudic. 11.

reuera



revera ita acciderint, sed secundum typum, & mysticum sensum accipienda esse. Item, illud Isaia 7. *Ecco Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Illud quoque Zacharia 9. *Ece Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ascendens super asinum, & super pullum filium asinae.* Et illud Michae 5. *Et tu Bethleem terra Iuda, &c.* non secundum literam, & historiam, sed tantum secundum typum, & figuram intelligi de Christo Domino. Id etiam Osee 11. *ex Aegypto vocavi Filium meum,* de Christo intelligi solum per accommodationem, non secundum historiam, nec secundum typum.

**Tertio queritur, An interpretari liceat Scripturam sacram, non quidem contra vnanimem consensum Patrum, sed praeter illum duntaxat, quod est querere, An si quis Scripturę sensum reddiderit, qui non sit vna animi Patrum consensui contrarius, licet diuersus, pugnet cum Tridentini Concilij Decreto? Respondeo:** minimè, sic enim docet Bannes prima parte q. 1. ar. 10. dub. 6. Quoniam Synodus non prohibet, quo minus alios Scripturam sensus eruant, sed tales sint, vt vnanimi Patrum sententia repugnent. Vnde Augustinus lib. 1. de Genesi ad literam c. 8. ait: *Si qua inde scripta, etiam diuina legerimus, quae possunt salua fide, quae imbuuntur, alijs atque alijs parere sententijs, in nullam earum nos precipis affirmatione projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam rectè labefactauerit, corruiamus, non pro sententia diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita diuicantes, vt eam velimus scripturarum esse, quae nostra est: cum potius eam, quae scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Sic ille. Scriptura enim est admodum foecunda, plures sensus saepius habens. **Sit Exemplum:** Illud Isaia 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Patres intelligunt suae generationem aeternam ex Patre secundum diuinitatem, siue temporalem iuxta naturam humanam ex Virgine: at alij generationem accipiunt pro aetate, & saeculo: ita, vt velit dicere Propheta; Illius aetatis homines, aut gentes quis enarrabit? hoc est, Quis poterit verbis exprimere prauitatem hominum temporis illius, quo Christus viuet? *Generationem item eius quis enarrabit?* id est, Quis exprimet homines, qui sunt in Christum credituri, qui per Baptismum renascuntur in eo hi sensus si recipiuntur, non est tamen sensus Patrum reiiciendus.

**Quarto queritur, An nefas sit Scripturarum sacrarum, verba ad profana, & vanam interpretationem conuertere? Respondeo,** ex eodem Concilio Trident. sess. 4. nullo modo licere id facere. Sic enim ibi Conciliū definit: *Post haec, temeritatem illam reprimere volens, quae ad profana quaeque conuertuntur, & torquentur verba, & sententia sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, subulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famulos, & mandat, & praecipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturae sacrae ad haec, & similia audeat vsurpare: vt omnes huius generis homines temeratores, & vniuocantes verbi Dei, iniuri, & arbitrij poenis per Episcopos coeantur.* Haec ibi.

**Quinto queritur, An tot sensus possit habere vnus Scripturae locus? Respondeo,** ex communi Theologorum sententia, quam habet S. Thomas in part. q. 1. art. 10. & quae ex Patribus, & Scripturis sanctis videtur esse desumpta, posse habere duos

sensus, vnum literalem, alterum mysticum, ita Grego. lib. 20. Moral. cap. 2. August. lib. de vitis, et edem. cap. 3. & Hieronym. ad Hebraeos. quest. 12. **Literalis sensus est, quem ipsae voces proprie, aut translate sumptae proximè significant.** Scriptura enim voces, quibus veitur ad aliquid significandum, aliquando proprie, aliquando metaphoricè vsurpat, vt docet August. lib. 3. de doct. Christian. cap. 5. 10. 11. & 29. Clarent haec exemplis: Leo, agnus, ouis, petra, mós, in Scripturis proprie accipiuntur saepe numero; aliquando verò improprie, & metaphoricè, & significant fortè, innocentem, mansuetum, constantem, superbum: quod idem dicere possumus de multis alijs Scripturae vocibus. **Quare duplex est Scripturae literalis sensus, vnus proprius, genuinus, quem voces proprie sumptae significant; alter metaphoricus, & figuratus, quem voces per translatione acceptae designant.** **Quod si roges, quando Scripturae voces proprie, quado metaphoricè siue tropicè interpretabimur? Respondeo,** esse vtendum regula Augustini in hac parte, qui lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. & 11. docet, voces Scripturae semper proprie interpretari debemus, nisi quado inde absurdè aliquid colligetur, absurdum intelligit, quod sit alteri Scripturae loco contrarium, vel quod cum recta ratione manifestè pugnet. **Mysticus verò sensus est, quem non voces primò, & proximè significant; sed res vocibus significatae, nimirum quando res vocibus significatae, nimirum quando res vocibus significatae est typus, figura, & vmbra alterius rei.** Explicabo rem; ad Heb. 5. & 7. Apostolus multa per typum, & Allegoriam explicat, & illud Deuter. 25. *non alligabis os boni trunanti.* Mysticè explanat. 2. Cor. 9. *Tota historia duorum filiorum Abraham, Isaac, & Imaelis, Paulus scribit esse per allegoriam, typum, & vmbra duorum Testamentorum, veteris, & Noui: & duas uxores Abraham, ancillam vnam, alteram liberam, esse figuram duorum ciuitatum, terrestris, & caelestis.* Idem ad Corinthios, post enarratas multas veteris Testamenti res gestas, subiunxit: *Omnia in figura contingunt vobis, scilicet Iudaeis: vbi & petram diuinitus è felle scaturientem, ex qua Hebraeorum populus bibit, ait fuisse Christum; nimirum per allegoriam. Typum fuisse Baptismatis, historiam Noe & filiorum eius, qui sunt per arcam seruati, ne vna cum alijs perirent, docet Petrus Apostolus. 1. epistol. 2. Ionam tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti, figuram fuisse Christi Domini triduo in ventre terrae sepulti: & serpentem aeneum, quem Moses erexit, Domini in cruce pendens typum fuisse, ipse Christus Dominus explicuit. Math. 23. & Ioan. 3.*

**Sexto queritur, Quotplex sit Scripturae Mystici sensus, & quotplex item literalis sensus? Respondeo,** cum S. Thom. in part. quest. 1. art. 10. de communi Theologorum mente atque doctrina, **Literalem seu historicum, vt paulò ante dixi, esse duplicem, Proprium nempe, & Metaphoricum.** Metaphoricus verò est duplex, quoniam Metaphora, aut inest singulis verbis, aut toti sermone, & orationi. Talis est ea Christi oratio, & sententia: **Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei, tales sunt parabola, & multa alię scripturarum sententia,**



rentur, quæ cum in veteri, tum in nouo testa-  
mento continentur. Mysticus verò sensus est tri-  
plex: Allegoricus, cum res veteris populi acci-  
piuntur tanquam vmbre, & figuræ eorum, quæ  
ad Christum, & Ecclesiam pertinent, Tropolo-  
gicus, est cum res veteris Testamenti sumuntur  
tanquam figuræ, & imagines eorum, quæ ad vi-  
tæ mores spectant. Anagogicus verò sensus est,  
cum res veteris, & antiquæ reipublicæ accipi-  
untur tanquam typi, & vmbre supernæ, & cæ-  
lestis patriæ. Hoc vno tantum exemplo decla-  
ro, vox vna Hierusalem, habet quadruplicem  
sensum, litteralem siue historicum, & significat  
urbem illam totius Orientis celeberrimam,  
Iudææ totius metropolim, in qua fuit templum  
Domini extructum, pulcherrimum magnificen-  
tissimumque, & Regum Iudææ regia aula consti-  
tuta. Allegorico sensu vrbis illa typus, & figura  
fuit Ecclesiæ à Christo Domino fundatæ. Tropo-  
logice verò vrbis eadem est figura, & vmbra piæ  
& religioſæ mentis, in qua tanquam in ciuitate  
Deus templum, domicilium, & sedem habet,  
Secundum Anagogiam, Hierusalem est imago  
cælestis, & supernæ patriæ. Hierony. ad Hebræos.  
quæst. 12. triplex, inquit, in corde nostro descriptio scrip-  
turæ est, & regala, Prima, ut intelligamus eas iuxta histo-  
riam, secunda, iuxta Tropologiam, tertia iuxta intelligen-  
tiam spirituales, in historia eorum, quæ scripta sunt, ordo  
seruatur, in Tropologia de litera ad maiora conſurgimus:  
& quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta  
mordem interpretamur locum, & ad anime nostræ emolu-  
menta conuertimus. In spirituali Theoria ad sublimiora,  
transmittuntur: terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, &  
cælestibus disputamus, ut presentis vitæ meditatio, vmbra  
fuerit eterni iudicij sit.

Octauo Queritur, An quilibet Scripturæ lo-  
cus sensum habeat litteralem? Quidam putant  
Scripturam aliquando sensu litterali vacare, so-  
lo mystico intellectu contentam. Mihi tamen  
videtur, omnem Scripturæ locum sensu aliquo  
litterali constare, vel proprio, vel metaphorico,  
Metaphoricus est in parabolis & in multis, quæ  
per tropos scriptura continet, ac refert, siue de-  
scribit. Scriptura enim vocibus vtitur ad aliquid  
proximè significandum: quamuis res vocibus  
significata, sit typus, & vmbra aliarum rerum.  
Obiicies, multa in scripturis contineri, quorum  
non videtur esse ratio aliqua, litteralem sensum  
pra se ferens, quale illud videri possit: Non alliga-  
bis os boni triturantis, item illud, Non arabis in boue,  
& asino, hæc enim, & similia videntur propter ty-  
pificos duntaxat intellectus esse conscripta. Res-  
pondeo, minimè esse negandum, in his & simili-  
bus, mysticas, & spirituales latere intelligendas,  
& quidem elegantes admodum, & pulchras, ni-  
mirum, Dignum esse operarium cibo, seu mæ-  
cede sua, vt explicauit Apostolus; item munda-  
cum immundis non esse miscenda. Item, infir-  
mioribus, & robustioribus iuxta proportionem,  
onera esse imponenda: at negandum non est, in  
his, & similibus Scripturæ locis sensus litterales  
contineri, quamuis aliquando lateant, siue illi  
sint proprii, siue Metaphorici: nam non semper  
scriptura vtitur vocibus propriè sumptis; sed  
Metaphoricè: & hoc est, quod Hiero, ait cap. 8. &  
cap. 11. in Zachar. non vbiq; esse historiam, hoc est,

non semper scripturæ voces accipi propriè, sed  
aliquando translata. V. G. si manus tua scandalizat te  
abscinde eam. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; signi-  
ficat solum Dominus quamlibet occasionem  
peccati quamuis proximam nobis, & charam  
præcidendam, & amouendam. Eodem modo in-  
telliguntur Greg. lib. 22. Moral. cap. 23. & 4. Moral.  
cap. 1. & Orig. lib. 4. Periarchon. cum dicunt ali-  
quando historiam desicere, & vbi deficit histo-  
ria, ad Mysticum sensum recurrendum. Iudæi  
fortassis cum ad triturandas segetes boues con-  
ducere solerent, eorum ora obstruebant, ne in-  
ter triturandum quidquam ederent, quo fiebat,  
vt ea misera iumenta malè haberent, & tracta-  
rentur. Et idcirco iubebat lex, Non alligabis os boni  
triturantis. Rursus cum Iudæus asinum tantum,  
aut bouem tantum habebat, bouem, aut asinum,  
forsitan conducebat, & deinde vtrumque ad a-  
randum iungebat: ex quo nascebatur id incom-  
modi, vt asinus conductus, vt potè boue infirmi-  
or plusquam par erat, in arando pateretur, bos  
itidem conductus, malè quoque tractabatur, vna  
cum asino ad agros aratro scindendos, & colen-  
dos iugatus, eò quod plus oneris ea ratione boui  
imponeretur. Quocirca lege cauebatur: Non ara-  
bis in boue simul, & asina.

Nono Queritur, An quilibet scripturæ locus  
sensum mysticum habeat? Quidam arbitrantur  
omnem scripturæ locum sensu mystico constare,  
quoniam Pauli vox est: Omnia in figura continge-  
bant illis, & Aug. lib. de Mendacio ad Consentium cap. 15.  
ait, omnia veteris legis pertinere ad figuratiuam  
prænunciationem. Mihi tamen videtur dicen-  
dum, leges veteris Testamenti, quæ ceremonias  
habere, & iudiciales vocantur à Theologis, habere  
duplicem sensum, litteralem scilicet, & Mysti-  
cum. Rursus, res gestæ veteris populi, quas scri-  
pturæ commemorant tanquam benè gestas, typi  
fuerunt eorum, quæ ad Christi Ecclesiam spe-  
ctant. Acta item, & miracula Christi Domini,  
non solum continent narrationem rei gestæ, sed  
etiam figuram, & imaginem eorum, quæ sunt à  
nobis agenda. August. serm. 44. de verbis Domini  
ait: Dominus noster Iesus Christus ea, quæ faciebat corpo-  
raliter, etiam spiritualiter volebat intelligi; neque enim san-  
ctum miracula propter miracula faciebat; sed vt illa quæ fa-  
ciebat, mira esset videntibus, & vera essent intelligentibus.  
Idem existimo de rebus gestis iustorum, & san-  
ctorum hominum, quæ tanquam benè gestæ in  
scriptura referuntur. At verò præcepta, & consi-  
lia morum non solent passim, nisi sensum litem-  
ralem habere, quia sunt præcepta Decalogi, &  
præcepta Fidei, & ea, quæ in libro Proverbio-  
rum, Ecclesiæ, & Sapientie, Ecclesiastici conten-  
ta normam, & regulam rectè viuendi præscri-  
bunt. Hieron. in Matth. 23. ait, multa in lege scripta  
sunt, quæ typos præferunt futurorum: alia verò aperta sunt,  
qualia sunt præcepta morum, non straberis, non falsum te-  
stimonium dices, & Aug. cap. 3. ad Galat. & lib. 6.  
contra Faustum cap. 2. & lib. 10. cap. alia inquit,  
sunt que pertinent ad sacramenta; alia, que ad mores, illa  
sunt præcepta vitæ significanda, hæc vitæ agenda. Hieron.  
in Isai. cap. 58. in Zach. cap. 8. & cap. 11. ad Ephes. 5.  
& 2. Corinth. 3. ait, non vbiq; historia, neque vbiq;  
allegoria seruanda est; sunt quædam in figura, alia non item;  
alia præcepta morum, idem Greg. lib. 12. Moral. in pro-



enim, Orig. hom. II. in Num. August. lib. 16. de ciuit. cap. secundo.

Decimo quaritur, An ex mystico sensu argumentum efficax sumatur ad res Fidei comprobandas? Respondeo, ex communi Theologorum sententia, quam habet S. Th. 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. quæque sumpta est ex Augustino, epist. 48. ad Vincencium Donatissim, & Hier. in Mattheum. 13. Minime; sed solum ex literali sensu, quod ipsum, & ratio conuincit: qua literalis sensus vocibus primò, & proximè significatur; Mysticū autē voces nō significant: sed res vocib. significata. Quod autē res vocib. significata sit rei alterius figura, & umbra, planè ex scripturæ vocibus non constat, etiamsi comperita nobis sit significatio vocum. At verò literalis sensus ex ipsa vocum significatione propria, vel metaphorica constare potest: & ideo dixit Dionysius. in epi. ad Titum, Theologia Symbolica, hoc est, Mystica, non est argumentatiua. Quidam tamen, inter quos est Medina. lib. 6. de rell. in Deum fide, capite 25. negant ex literali solummodo sensu argumentum efficax colligi ad Fidei dogmata confirmanda; sed etiam, aiunt, ex mystico multa argumenta efficaciam desumi. Si queras, An in rebus male gestis, quas scriptura refert cōtineatur Mysticus sensus præter literalem? Ratio dubitandi est, quia Gre. lib. 3. Moral. cap. 21. Allegoricè exponit adulterium à Dauide commissum: vbi videtur innuere in peccatis, quæ scripturæ recensent, allegoriam latere. Eucherius lib. 2. in libros Regum cap. 7. allegoricè interpretatur idē adulterium. Angelomus quoque. 2. Regum. cap. 11. & Ambros. lib. de Apologia Davidis. cap. 3. & 4. Cassiod. in Psalm. 50. Item hom. 1. in Matth. nomine Chrysostomi. Et apud Hieron. in epist. ad Rufinum allegoricè exponitur id, quod de duabus meretricibus narratur. 3. Reg. cap. 3. Insuper August. lib. 22. contra Faustum. cap. 83. Eucher. lib. 2. in Genes. cap. 30. & Ambros. in apologia Davidis cap. 3. allegoricè exponunt congressum Iudæ cum Thamar. & August. in Psalm. 57. & lib. 22. contra Faustum. ca. 42. allegoricè quædam alia interpretatur. Ceterū Hieronymus in Osee cap. 10. in Ezech. cap. 12. in Isai. cap. 45. reprehendit eos, qui allegoricè explicant res malè, & turpiter gestas; & August. lib. 2. de sermone Domini in monte. Sic etiam Orig. hom. 5. in Genesim. Dicendum existimo in primis, impios in eo, in quo impij fuerunt, typum & figuram Christi non fuisse: & hoc est, quod dixerunt Origenes, Hieronymus, & Augustinus vsq. loco citati. Deinde, homo bonus, qui in vetere populo præcessit, in re aliqua, quæ verè mala nō fuit, in eo potuit typum, & figuram continere Christi, sic Abel interfectus à fratre fuit figura Christi. Ioseph à suis fratribus venditus Christum adumbravit. Sampson ingressus ad alienigenas, significauit Christi ingressum ad gentes; tale est illud, quod Lucæ. 11. Narratur de amico importuno: & c. 18. illud de indice, qui nec Deum timebat, nec homines reuerbatur. Præterea nobis non licet passim malefacta, quæ scriptura narrat, allegoricè siue Mysticè explicare. At si auctoritate sanctorum Patrum quis ea Mysticè interpretetur, reprehendi iure, nec debet, nec potest. Nam Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 42. & cap. 82. Aliquando, inquit, factum in scri-

ptura narratum, cum referretur, prophetia est, cum factum fuit, flagitium fuit. Aliud enim cum factum est, incederunt iij, qui fecerunt, aliud Deus, qui hoc fieri permisit, ut aliquid inde monstraret pro significatione futurorum. Et exemplum ponit de Loth, & filius eius cum eorum habentibus; idem docet Eucher. lib. 2. in Genes. c. 30. Greg. lib. 3. Moral. ca. 21. Angelo. lib. 2. Reg. cap. 11.

Annotandum itidem est, Mysticum sensum aliquando ad Fidei dogmata confirmandavale, nimirum, quando mysticus sensus ex aliquo scripturæ loco planè constat, quales sunt mystici sensus, quos Paulus, & alij Apostoli explicauerunt. Item, quando mysticus sensus apertè ex traditione Christi Domini, & Apostolorum liquet, certam etiam fidem facit; Præterea: si constat etiam communi totius Ecclesie consensum, nam sensus mysticus si verus sit, & germanus, à Spiritu sancto Scripturæ auctore est: vtrunque enim sensum, literale, & Mysticū Spiritus sanctus voluit: sed mysticus sensus ab auctore Canonico declaratus, aut Traditione diuina, aut communi Ecclesie consensu receptus, verus est, & germanus, ergo eo ipso certam fidem facit: Ex quo efficitur, ut mysticus scripturæ sensus concordat Patrum consensum explicatus rei rei nequeat. Tale est illud Isaiæ 14. Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebaris? iuxta litteram quidem de rege Babyloniorum Nabuchodonosor vaticinium esse, quidam existimant: mysticè verò secundum vocem Patrum consensum intelligitur de casu miserabili superbi damonis è celo: mysticus ergo sensus proprio eiusque ingenio, & studio ex scripturis erutus, certam fidem non facit.

Vndecimo quaritur, An eiuſdem litteræ in scripturis possint esse duo, & plures sensus literales? Quidam, è quorum numero est Medina lib. 6. de rell. in Deum fide. c. 25. sentiunt, non posse esse: qui non diffidentur multa esse in scripturis, quæ ex multiplici significatione vocū propria, vel translata hunc aut illum possint sensum habere; aiunt tamen Spiritum sanctum scripturarum conditorem, vnum tantum sensum voluisse, licet voces propriè, vel Metaphoricè acceptæ multa significet. Et proinde quando scripturæ locus ex significatione vocum multiplicem reddit intelligentiā, ex eo loco firmum argumentum sumi non potest ad res Fidei comprobandas, quia nobis nō constat, hunc, an illum sensum voluerit Spiritus sanctus, nisi ex alio scripturæ loco, aut traditione diuina, aut Ecclesie sensu fuerit patefactum. Communis tamen Theologorum opinio, quam habet S. Th. 1. p. q. 1. art. 10. ex Augustino accepta est. 11. Confessio. cap. 20. 24. 26. 27. 28. & 31. & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 27. & lib. 11. de ciuit. cap. 19. eiuſdem litteræ posse plures literales sensus esse. Hinc est, ut si vocum significatio sit multiplex, omnes eiuſmodi sensus, quos voces designant, sint admittendi, nō quidem per disunctionem hic, aut ille, sed per copulationem hic, & ille. Si dicas ergo ambiguum sepe loquitur Spiritus sanctus; Respondeo, ambiguitatem non esse, quia si voces pluræ certò significant, tunc plures sensus, quos scripturæ voces designant sunt retinendi, quoniam Spiritus sanctus in ijs vocibus plura nobis significari voluit.



## Cap. III.

## De vulgata Latine editionis auctoritate.

**P**rimo queritur, in qua lingua sacri, & Canonici libri habeant auctoritatem in rebus Fidei, & morum comprobandis: quod est quæ-  
rere? An ad res Fidei confirmandas sit recurrendum ad primarias linguas, in quibus editi sunt, & conscripti libri Canonici? *Respondeo*, ad id sufficere vulgatam editionem latinam, qua vtitur Ecclesia, quoniam Spiritus sanctus Ecclesiam gubernat ac regit: & proinde, cum per tot annos Ecclesia, editione vulgata latina, sit vsa in rebus Fidei, & morum, confirmandis, consequens est, ut scriptura, quam habet vulgata latina editio, sit pro sacra, & Canonica habenda. Nec refert, si scriptura sit condita in alia lingua, ex qua sit deinde in latinam conuersa. Nam etiam si interpretum auctoritas vulgatam editionem latinam, non fecerit esse scripturam canonicam; Ecclesia tamen consensus, & vsus sufficit ad eam authenticam, vel canonicam declarandam. Vnde etsi per hypothesim concedamus, inter pretem in interpretando labi potuisse; non tamen potuit Ecclesia in approbando latinam editionem errare, & deceptam quoniam habet Spiritum sanctum, sibi assistentem in approbandis, dijudicandis, & declarandis Scripturis in latinum etiam sermonem conuersis: sicut etiam adest Spiritus sanctus eidem in discernendo, hos, & non illos esse libros canonicos: in definiendo hoc, & illud esse Euangelium Matthæi, Marci, Luca, & Ioannis.

**S**ecundo queritur, quantæ auctoritatis sit vulgata latina editio? *Respondeo*. Concilium Tridentinum, sessione quarta ita definiuit. *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum vitia et vitia esse in Ecclesia Dei, si ex omnibus latinis editionibus, que circumferuntur, sacrorum librorum, quoniam pro authenticis habentur, sit, motus sit: statuit, & declarat, ut hec ipsa vetus, & vulgata editio, que longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & explicationibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quous prætextu audeat, vel presumat. Hinc colligitur, quid sit dicendum, cum queritur, an in sacrarum litterarum intelligentia, sit recurrendum ad Hebraicam, vel Græcæ exemplaria, & an vulgatæ latinæ editionis codices sint per Hebraicos, vel Græcos corrigendi. Olim enim multa esset latinorum codicum varietas, Patres dicebant ad Hebraicos, vel Græcos codices recurrendum esse. Sic Hieron. in lib. aduersus Iulianum in epi. ad Marcellam ad Damasum, & cap. 8. Zachar. Sic Aug. lib. 2. de doctr. Christiana. cap. 15. Sed postquam tam longo vsu vulgata latina editio est in Ecclesia approbata, & Concilij Trident. auctoritate confirmata, & Romanorum Pontificum testimonio munita, non est, quod ad Hebraicam, vel Græcæ exemplaria recurramus, aut quod vulgata latina editio per Hebraicos, vel Græcos codices emendetur: ipsa per se satis est, ad fidei dogmata stabilienda.*

**T**ertio queritur, An ex huiusmodi approbatione vulgatæ, & latinæ editionis damnetur exemplaria hebraica, vel Græca, ex quibus tam-

quam ex fontibus latina editio fluxit? *Respondeo*, concilium nihil decreuisse de hebraicis, aut Græcis exemplaribus, quæ nunc extant, sed inter latinæ editiones veterem vulgatam tamquam authenticam recepisse: quare hebraica, vel Græca lectio in concilio damnata non est. Sed quæres, an suam fidem, & auctoritatem etiam nunc retineant exemplaria Hebraica, & Græca, quam ante habebat? *Respondeo*, retinere quidem vbi incorrupta, & integra fuerint, ita tamen, ut si cum sensu vulgatæ latinæ editionis omnino pugnent ea, quæ nunc extant Hebraica, siue Græca exemplaria, pro canonica scriptura sit nobis habenda vulgata latina editio, posthabito contrario sensu hebraicæ, vel Græcæ lectionis: numquam enim in rebus Fidei, & morum dubius sensus est eligendus, aut sequendus, reiecto certo, & indubitato: sed Ecclesiæ decreto, vel vsu approbata est latina vulgata editio: ergo sensus, quem certo, & euidenter reddit nobis, est certus, & indubitatus; at quem reddit hebraica, vel Græca lectio, quæ nunc extat dubius, est incertus, quoniam nihil certi de ea lectione Ecclesia constituit, ergo tenendum est certum, relinquendum incertum, & ambiguum. *Quæres deinde*: Quid si sensus hebraicæ, vel Græcæ lectionis non sit vulgatæ contrarius; sed solum ab illa diuersus? *Respondeo*, quotiescumque eum sensu vulgatæ latinæ editionis aliqua ratione stare potest, eum a Concilio minime damnari, improbari: unde permissum est nobis alios sensus diuersos quidem, non tamen vulgatæ contrarios ex hebraicis codicibus eruere, ad aliorum in vita, & moribus profectum iuuandum, & promouendum.

**Q**uarto queritur, An vulgata latina editio rãta sit auctoritatis, ut omni careat errore? *Respondeo*, pro certo habendum apud Catholicos, eam omni errore vacare in Fide, & moribus. An verò in reliquis extra Fidem, & mores, aliquem errorem contineat, inter Catholicos dubitatum est; quibusdam asserentibus, eam esse a Concilio approbatam tamquam immunem, & liberam ab omni Fidei, & morum errore; non tamen ab alijs; & proinde aliqua in ea esse vitia, ite aliqua, quæ clarius, significantius, proprius, verius, & melius verti potuerint. Itẽ, aliqua esse male traducta, aliqua in contrarium, & alienum sensum conuersa, id probant testimonio Catholicorum virorum, qui post Concilij Tridentini decretum scripserunt; videlicet *Veg. super Conc. Trident. lib. 15. c. 9. prope finem. Sixti senensis lib. 8. ad finem. Cani. lib. 2. de locis Theologi. ca. 13. Paynæ lib. 4. de sensibus fidei Tridentine Catholice. Lindani lib. 2. de optimo genere in erpre. cap. 12. & lib. 3. cap. 10. 11. 12.* hi omnes fatentur aliquos esse in latina vulgata editione errores, nõ solum vitio scriptorum; sed etiã ipsius interpretis incuria, vel ignorantia. Mihi tamen verior videtur esse eorum sententia, qui opinantur, vulgatam editionem latinam, non solum in rebus Fidei, & morum omni errore carere, sed in cæteris quoque omnibus, quare licet aliqua clarius, significantius, & proprius, & latinus reddi potuerint; non tamen verius, aut simpliciter certius. Non est quod nobis multa obijciant quidam ad id probandum, quale est illud *1. sal. 73. Non est creditus cum Deo spiritus eius, pro eo*



quod diceretur, non est firmus: non firmè Deo adhaere spiritus eius, & illud I. sal. 76. *Scopebam spiritum meum, & illud Sap. 4. Spuria vitulamina non dantur radices alias: hæc & multa alia similia solum probant aliquid transferrì potuisse latinis propriis, vel clariùs.*

Sciendum item est, aliqua fuisse olim in vulgatis latinis codicibus, quæ nõ fuerunt interpretis, sed scriptorum, & typographorum vitia; quæ ex varia ipsorum latinorum codicum collatione internosci potuerunt, & debuerunt. Aliqua item latinus interpres addidit, & suppleuit interdum ex alijs scripturæ locis transposita: nonnumquam etiam aliqua adiecit ad etymologiam vocabulorum exprimentam: vel ad aliquid clariùs, expressiùs, ac distinctiùs significandum, vel ad emphasim, energiam, vim & efficaciam in hebraicis, vel græcis verbis contentam, apertius & commodiùs explicandam, vt singula exemplis probare poteram, sed non est huius loci, & instituti.

**Quintò queritur, An vulgatus latinus interpres in Scripturis vendendis Spiritum sanctum sibi peculiariter assistentem habuerit, qui ipsi verba suggererit, vel saltem sensum & sententiam dictauerit?** Id affirmant nonnulli ea ratione permotiva: quia aliqui, inquit, in Ecclesia nõ esset scriptura canonica; cõ primaria originalis scriptura intercederet. Deinde, aliqui interpres in conuertendis scripturis decipi, & errare potuisset. Negant alij esse necesse, vt fateamur interpreti Spiritum sanctum assistisse, singula verba, vel etiam sententias suggerentem: sed assistisse Ecclesie in vulgata interpretatione approbanda, & proinde in huiusmodi approbatione Ecclesiam, nec fallere, nec falli potuisse: quod si alicubi interpres deceptus fuisset, Spiritus sanctus nunquam permisisset, vt Ecclesia, eam interpretatione sua auctoritate confirmaret. Unde aiunt: Interpretationem ab originali scriptura differre; quod Spiritus sanctus scriptori Canonico, & verba, & singulas sententias suppeditauerit; at verò interpreti non item, & nihilominus interpretatione Ecclesie vsu, vel decreto approbatã esse scripturam canonicam: non quod interpres ipse, aut Ecclesia eam canonicam effecerit, sed quod Ecclesia Spiritus sancti instinctu & assensu deprehenderit eam in omnibus cum originali scriptura congruere, & proinde sicut originalis est canonica scriptura; ita vulgata latina editio Ecclesie auctoritate approbata, canonica in idem est scripturæ sacræ interpretatio, tamquam Spiritus sancti magisterio cum primaria, & originali cõtentiens.

**Sextò queritur, An græca 70. interpretum editio sit etiã authentica?** Respondeo, fuisse suo tempore authenticam, quamdiu incorrupta permanfit. Nam Christus Dominus, euangelistæ, & Apostoli nonnumquam vsi sunt in scripturis citãdis: eam quoque vsus Ecclesie per multos annos approbauit; Patres itidem, vt latissime probat Leo Castrus in *Italam*, communi consensu tradiderunt, Septuaginta singulari Spiritus sancti dono, & munere scripturas interpretatos fuisse: quamuis Hieronymus aliquantulum repugnet. Nunc verò dubitant nonnulli, vtum sit athen-

tica: immò quidam alij dicunt, eam authenticam non esse, quia planè non constat, sit necne corrupta; nec Ecclesia de hoc certi aliquid cõstituit, nisi in ijs, quæ vnanimi consensu Patres testantur, aut Ecclesie vsus habet, vel eius auctoritas confirmat: vel Romani Pontifices approbaverunt. Sicut etiam originalis scriptura fuit, inquit, suo tempore authentica; sed nunc nõ est, mox quia Originalis authentica esse desierit, sed quia Ecclesie vsu, aut decreto, aut certè euidenter nobis non constat, sit postea vitata necne.

Cæterum animaduertendum est, auctoritate & iussu Sixti V. Pontificis Romani editum esse vetus Græcum Testamentum, iuxta Septuaginta interpretum editionem, ad emendatissimorum codicum fidem correctum, de quo idem Sixtus V. in Rescripto ipsis Græcis Biblijs veteris testamenti præfixo sic ait. *Cum itaque superioribus anni pie recordationis Gregorius XIII. Papa prædecessor noster, nobis suggerentibus, Græcum vetus Testamentum iuxta Septuaginta interpretum editionem, qua ipsi etiam Apostoli nunquam vsi fuerunt, ad emendatissimorum codicum fidem emendandum mandauerit, eius rei cura directo filio nostro Antonio Sancte Romane Ecclesie Presbytero Cardinali, & alijs per eum delectis eruditissimis viris, demãdatis, & iam expositio huiusmodi per multis exemplaribus ex diversis Italiae bibliothecis, & præcipue ex nostra Vaticana diligenter collatis, matureque examinatis, absoluta sit, volumus, & sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesie vtilitatem, vt vetus Græcum Testamentum, iuxta Septuaginta, ita recognitum, & expositum ab omnibus recipiatur ac retineatur, quo potissimum ad Latinae vulgatae editionis, & veterum Sanctorum patrum intelligentiam vtantur, prohibentes, ne qui de huiusmodi Græca editione audeat in posterum, vel addendo, vel demendo quicquam immutare. Hæc ibi Pontifex.*

### Cap. IIII.

#### De Apostolicis, & diuinis Traditionibus.

**Primo queritur, An sicut Fide creduntur, quæ in Scripturis Canonicis continentur, sicut etiam Fide credere oporteat, quæ sine scripto traditiones habent?** Respondeo, in Concilio Tridentino, sessione quarta definiti. *Fidei & morum veritatem, & disciplinam contineri in libri scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus tradita ad nos usque peruenerunt; traditiones ipsarum cum ad fidem, sicut ad mores peruenientes tamquam, vel orationes à Christo, vel ab Spiritu sancto dictatas, & canonicam successione in Ecclesia Catholica, conseruatas per pietatis affectum, ac reuerentiam, cum libris suscipi, & reuerentius ipsa Synodus. Et postea. Si quis autem traditiones predictas sciens, & prudens contempserit, Anathematis. Idem definitur Synodus septima generalis. *Act. 7. & Paulus scribens ad Thessal. epist. 2. c. 2. dixit, tenete traditiones, quas didicistis sine per sermone, sive per epistolam nostram.**

**Secundo Queritur, quid nomine Traditionis accipiatur?** Respondeo, Traditionem esse doctrinam Fidei, vel morum, verbo, non scripto, quasi per manus à Maioribus acceptam. Ego in præfati loco Traditionem Diu-



nam latè voco, videlicet eam, quæ in scripturis non continetur expressè, quamvis adhibito comuni Patrum, vel Ecclesiæ sensu, vel quamvis certa & necessaria consequentione ex sacris litteris colligatur, vt patebit exèplis, quæ in medium certa verborum formula adducam.

**Tertio** Queritur, quoniam sint Traditionum genera? **Respondeo**, esse tria. Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 6. concl. 6. Ayala de Diui. tradi. p. 3. in principio: nam Traditiones alix sunt Diuina, alix Apostolica, alix Ecclesiastica. Diuina Traditiones sunt, quas ab ipsius Christi ore Apostoli acceperunt, vel quas Spiritu sancto dicente, & iubente, vel Christo Domino imperante promulgauerunt. Apostolicae sunt, quas ipsi Apostoli tanquam Ecclesiasticum præfati, Doctores, Magistri, & Rectores instituerunt; hac enim ratione canones, qui dicuntur Apostolorum, condiderunt. Ecclesiasticae vero sunt, quas ipse Ecclesiæ mos vsq; constituit, & obseruat.

**Quarto** Queritur, quam auctoritatem habeant omnes huiusmodi traditiones? **Respondeo**, non penitus eandem, sed diuersam habere magna ex parte. Nam quemadmodum in iure ciuili consuetudines moribus ventium receptæ, quæ sunt iura quædam, non scripta, sunt tantæ auctoritatis, quantæ, & leges, & iura Principum: ita etiam in Ecclesia traditiones diuinae tantam habent auctoritatem, quantam ipsum verbum diuinum scriptum, & hoc est quod Synodus Tridentina definuit, & longè ante synodus 7. Generalis, & quod Apostolus dixit scribens. 2. Thessalonic. 2. *tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Traditiones Apostolicæ eiusdem sunt auctoritatis, cuius sunt Constitutiones Apostolorum scriptæ Ecclesiasticæ tanta firmitudine constant, quantam habent scriptæ ipsius Ecclesiæ constitutiones. Ex quo efficitur, vt traditiones diuinae ad ius diuinum spectent, & proinde sint immutabiles: Apostolicæ verò ad ius humanum, sed Apostolicum: & propterea Ecclesiæ auctoritate mutabiles sunt, sicut & scriptæ Apostolorum constitutiones: Ecclesiasticæ, ad ius humanum Ecclesiasticum & Canonicum pertinent.

Porro animaduertendum est, nonnunquam hæc tria genera traditionum secundum vocabula confundi: nam Ecclesiasticas, & Apostolicas, interdum Diuinas appellamus. Non quia Christus, aut Spiritus sanctus per seipsum proximè instituerit, aut dictauerit; sed quia vel Apostolorum, vel Ecclesiæ auctoritate, aut magisterio communi, & consueto, quod dicitur ordinariū, tradiderit. Rursus Diuinas aliquando vocamus Apostolicas, vel Ecclesiasticas: non quia Apostoli, vel Ecclesia eas constituerint; sed quia à Christo, vel Spiritu sancto institutas Apostoli, vel Ecclesia suo ministerio promulgauerint. Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 6. conclusio 6.

**Quinto** queritur, An exemplis possimus Diuinas traditiones ab Apostolicis, vel Ecclesiasticis discernere? **Respondeo**, Diuinas esse Fidei, vel morum, nimirum Perpetuam Deiparæ vir-

ginitatem; Descensum Christi Domini ad inferos, vt sanctorum animas inde erutas in cœlum deduceret; Baptismum paruulorum; Conuersionem per transubstantiationem panis in verum corpus, Et vini, in sanguinè Christi; hos, & non illos, esse sacros, & canonicos libros; hunc, non aliū esse scripturæ sensum verum, & germanum: Sanctorum Martyrum, & aliorum in cœlo regnantium auxilium inuocandum; eorum memorias celebrandas; eos pro nobis orare, nostra vota, precesque cognoscere: cineres eorum, reliquias, sepulchra, & Basilicas religiosè colendas, sacrarum Imaginum & rerum cultum, & venerationè retinendam: Sacramenta Baptismi, Ordinis, & Confirmationis minimè iteanda: Episcopum à simplici presbytero ordinis potestate, & functione distingui: sacrificium Missæ esse verè, & propriè pro peccatis propitiatoriu; esse quoq; pro mortuis offerendum; viuorum pro mortuis suffragia; locum Purgatoriū, vbi ante ingressum in cœlum expiantur animæ eorum, qui dum in hoc mundo vixerunt, nondum pro peccatis suis plenè satisfecerant: Sacram peccatorum confessionem corā sacerdote proprio secretò faciendam; Communionem sub vtraq; specie, vel sub altera tantum laicis sufficere ad salutem; esse pro peccatis suis faciendum etiam post culpam dimissam; Matrimonium esse verè, & propriè sacramentum aeternæ legis, gratiā conferens: Extremam quoque infirmorum vnctionem verè, & propriè sacramentum esse gratiā conferens. Sacræ confessionis secretum esse omnino seruandum. Possit Ecclesiā extrā sacramenta per indulgètiās, vt vocant, peccata, hoc est, peccatorum poenas condonare, & remittere; Processionem Spiritus sancti à Patrè, & Filio, tanquam ab vno principio, & vna spiratione, ex omni aeternitate procedentis. Trium personarum diuinarum in vna substantiā æqualitatem; earundem per relatas proprietates distinctionem. Apostolicæ traditiones sunt, Ciborum delectus, Ieiunium Quadragesimæ, & quintæ, & quartæ feriæ in vnaquaq; hebdomada, Ministrorum Ecclesiæ, Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum cœlibatus, & continentia; Crucis in fronte, & pectore signatio; consecratio Virginum: continentiam perpetuam Deo voto promittere. Monastica professio: lucernæ, & cerei in templis ardentes, & lucentes; Precatio ad Deum versus Orientem; Inter Pascha, & Pentecosten stando orare, & ieiunijs abstinere; Aquā vino in consecratione permiscere: in Baptismo diaboli pompas, & negotia dimittere. Certorum dierum festorum obseruatio, nimirum Dominicæ diei, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis, Natiuitatis, & Epiphaniæ Domini. Post decimā quartam Iunam Martij, prima Dominica die, Pascha celebrandum: Symbolum Fidei, quod dicitur Apostolorum: Trina immersio, cum quis sacro Baptismatis fonte proliuitur. Descensum Christi ad inferos, vt Sanctorum, animas inde erutas in cœlum deduceret, traditionè esse Diuinā, non expressum in Sacris litteris verbum, testatur Canus lib. 3. de locis, ca. 2. in fundam. 2. lib. 2. cap. 4. in regula. Ayala de traditionibus diuinis. & Apostol. in assert. 2. Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. Communionem sub vtraque specie, vel altera tantum laicis sufficere ad



salutem, traditionem Diuinam esse, testatur Ayala *de traditionibus*. p. 3. cap. de *Communione sub altera specie*. Pro peccatis satis faciendum esse remissa culpa, traditionem esse diuinam, dixit Ayala *de tradit.* p. 3. *conclus. 3. versiculo. Sed quia.* Confirmationem, Matrimonium, Extremam Vnctionem esse Sacramenta nouæ legis verè, & propriè, & conferentia gratiam, traditionem esse diuinam, ait Canus *lib. 2. de locis*; cap. 5. Processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vna spiratione, ab omni æternitate procedentis, esse diuinam traditionem, testatur Canus *lib. 2. de locis fundamentis* 2. Trium diuinarum Personarum æqualitatem in vna substantia, earundemq; per relatas proprietates distinctionem, diuinam esse traditionem, habet Canus *lib. 2. de locis*, ca. 2. *fundamento* 2. Ecclesiasticæ traditiones sunt, mores, & consuetudines quas obseruat Ecclesia, nimirum, illa consecrat altaria, calices, vasa, templa, vestes, quibus omnibus vtitur in Missæ sacrificio faciendo, & offerendo; solet vota dissoluere, iurandum relaxare; matrimonium ratum non consummatum, per votum solemne Religionis dirimere. Aliquos in sanctorum cæli habitatorum numerum referre: Religionem instituta approbare: Instituit Beneficia, quæ Ecclesiastica dicuntur: coniungit, annectit, diuidit, & extinguit: pensiones super Beneficijs imponit: cantus, instrumenta musica, preces horarias, & alios ritus, & cetera: emotas in faciendo, & offerendo Missæ sacrificio, & in ministrandis Sacramentis constituit: asseruat Eucharistiam pro ægrotis: eam populo exhibet venerandam: circumgestat in solemni, & publica processione: paruulis olim eam porrigebat; in quibusdam locis & panis, & vini vtriusque speciem dare populo solebat: nunc iustus de causis alteram tantummodo præbet: Distinxit Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Metropolitanos, Patriarchas: Cõstitutiones sancit; iudicat ieiunia: per uigilia sanctorum Martyrum instituit; penas delinquentibus irrogat: dies festos & sacros obseruat ac celebrat: dominicæ passionis, & mortis memoriam anniuersaria celebritate colit.

Animaduertendum est, inter traditiones Apostolicas, vel Ecclesiasticas, alias esse ab omnibus Apostolis acceptas, alias à quibusdam tantum, vel ab vno, Vnde diuersæ Traditiones, ab Apostolis promanarunt. Per Orientem enim traditione ab Apostolis deriuata, sabbatum, sicut dies Dominica, piè, & religiosè colebatur: & tamen per occidentem sabbato ieiunium seruabatur traditione, vt ego existimo, à Petro Apostolo accepta. Vnde diuersi ritus, & mores per Orientem, & Occidentem retenti, & obseruati sunt.

Sciendum quoq; est, Apostolicas traditiones, sicut etiam cõstitutiones eorum scriptas, aliquas fuisse ad tempus; alias in perpetuum: item à lias vsu, & consuetudine poruissè abrogari; alias non item. Vnde Ieiunium quartæ feriæ desijt esse in vsu multis in locis; quamuis adhuc alicubi seruetur; alias esse liberæ, alias verò necessitatis, hoc est, alias vim consilij tantummodo habere; alias vim, & obligationem præcepti.

Postremò animaduertendum est, hoc etiam esse, vt certum tenendum, quemadmodum Eccle-

sia in ferendis legibus scriptis errare non potest, ita vt contra Fidem, & rectos mores nihil inbere queat; sic etiam in traditionibus, & obseruationibus Fidei, & morum labi vilo modo ac decipi non potest.

## Cap. V.

### De Fidei articulis credendù.

**P**rimò queritur, An præter libros canonicos, & traditiones Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas sit aliqua breuis Fidei complexio ac summa omnium credendorum? *Respondeo*, esse illam, quam duodecim Apostoli Symbolo Fidei edito tradiderunt, quamq; in duodecim breues sententias, quos articulos appellamus, iuxta numerum Apostolorum aprè distinxerunt: quod quidem symbolum est veluti nota quædam, & signum, quo Christiani homines ab impijs, & infidelibus, qui vel nullam, vel non rectam, Christianitatem profiterentur, discernendi ac inter noscendi sunt. Symbolo Apostolorum sunt addita alia duo symbola, vnum dicitur symbolum Athanasij: alterum symbolum Nicænum ab Ecclesia editum, ad vberiore, & plenioris explicationem fidei, & ad hæreses confutandas.

Secundò queritur, quot & qui sint symboli Apostolici articuli? *Respondeo*, cū S. Th. 2. 2. q. 1. ar. 9. c. Si iuxta numerum Apostolorum, & ordinem, quo in symbolo continentur, esse duodecim.

Primus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ.*

Secundus: *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.*

Tertius: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus Maria Virgine.*

Quartus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

Quintus: *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.*

Sextus: *Ascendit ad cælos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Septimus: *Iude venturus est iudicare viuos, & mortuos.*

Octauus: *Credo in Spiritum sanctum.*

Nonus: *Sanciam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.*

Decimus: *Remissionem peccatorum.*

Vndecimus: *Carnis resurrectionem.*

Duodecimus: *Vitam æternam.*

At iuxta Theologorum vnanimem sententiam, articuli Fidei ratione rerum creditarum, in quatuordecim aptè diuiduntur. Nam de Deo, vel credimus, quæ ad naturam ipsam diuinam spectant, & ea sunt septem; vel quæ pertinent ad naturam humanam assumptam, & mirabili nexu, & vinculo cum verbo Diuino cõiunctam, & ea itidem sunt septem.

In Deo etenim, vel cõsiderare possumus naturam, vel personam, vel operationem ipsius propriam. In natura est vnitas: in personis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. In effectibus,

quos



quos solus Deus in nobis præstare potest, est trium bonorum communicatio. Nam vel impertit nobis naturæ bonum, & secundum hanc rationem est creator: vel gratiæ bonum, & sic est Redemptor, & iustificator: vel gloriæ cælestis bonum, & hoc modo est Saluator, suo æternæ felicitatis largitor: quæ actiones vni tantum Deo conveniunt. Solus enim ille creat aliquid ex nihilo condendo; solus iustificat, peccata condonando; solus hominem, & Angelum donat gloria cælesti, vitam æternam conferendo: Et proinde sunt septem articuli ad Divinam naturam pertinentes.

Sunt alij septem ad naturam humanam assumptam spectantes; nimirum conceptio ex Spiritu sancto, qua incarnatum est Verbum divinum: Natiuitas ex incorrupta Virgine: Passio, quæ completitur Christum cruci affixum, mortuum, & sepultum: Descensus ad inferos: Resurrectio ex mortuis: Ascensus in cælum: Adventus ad iudicandos vivos, & mortuos.

Tertio queritur, quid primus articulus contineat? Respondeo, Deum esse in natura, & substantia vnum, æternum, infinitum, immensum, & maiestatem summam, ubique non solum potestate, vi, & efficacia, sed etiam re ipsa verè præsentem; qui vitæ, & mortis potestatem, & imperium obtineat, qui sit supremus rerum omnium Dominus, qui possit suo nutu, & arbitrata cuncta facere, quæ velit, qui vniuersa cognoscat, videat, curet, & moderetur.

Quarto queritur, quid habeat secundus articulus? Respondeo, primam in natura, & substantia diuinam personam, nimirum Patrem, qui est principium duarum personarum diuinarum, & proinde genitorem Filij, & spiratorem Spiritus sancti cum profiteamur, & credimus; & paritate ingenitum, id est, à seipso, & per seipsum subsistentem, non accipientem, & habentem suam esse ab alio.

Quinto queritur, quid habeat tertius articulus? Docet secundam in natura diuinam personam, verum Deum, qui ex solo Patre sit genitus ex omni æternitate, naturalis Filius Dei, consubstantialis, & per omnia ipsi æqualis, Verbum vnicum, & expressa imago Patris, cum perfectissime repræsentans, & exprimens.

Sexto queritur, quid profiteatur quartus articulus? Tertiam in natura diuinam personam Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque ab omni æternitate procedens, verus, vtrique coæternus, coequalis, consubstantialis Deus est, & proinde eadē fide, ac pari cultu, & veneratione colendus.

Septimo queritur, quidnam comprehendat quintus articulus? Deum esse rerum omnium conditorem; qui solo suo nutu & verbo; tum visibilia, tum invisibilia, siue vniuersam mundi machinam initio temporis, ex nihilo produxerit: producta conseruet, dirigat, curet, & gubernet summa cum bonitate ac sapientia: qui sicut est omnium creator, à quo cuncta ex nihilo condita in tempore fluxerunt; sic est omnium finis, ad quem omnia referuntur.

Octavo queritur, quid credendum proponat sextus articulus? Hoc nimirum; Deū esse omnis iustitiæ, sanctitatis, & gratiæ datorē, ipsum peccata

dimittere, & peccatores in suam charitatem & amicitiam per gratiam adoptionis restituere.

Nono Queritur, Quid tradat septimus articulus? Respondeo, Deum esse gloriæ æternæ, & vitæ cælestis largitorem, in quo summa beatorum mentium felicitas consistit.

Vltimo Queritur, quid credendum proponat cæteri articuli ad humanam naturam assumptam pertinentes? Hoc nempe; profiteamur Dei Filium propter nos cælis sese ad ima demisisse, descendisse, & humanam naturam assumpsisse, sibi mirabili nexu, & vinculo copulasse, ita, vt post illā coniunctionem, fuerit vna persona ex duabus, & in duabus naturis, diuina scilicet, & humana subsistens, ac ideo in tempore conceptus sit, sine patre, ex incorrupta Virgine, operante in illa sic Spiritus sancti virtute, vt Verbum caro, & Deus homo fieret.

Secundus verò proponit eundem Dei Filium humanam naturam assumptam ex illibata Virgine, nascendo prodixisse, ita vt Maria, simul Dei Mater, & Virgo fuerit.

Tertius articulus ostendit, Christum Dominum præclare docendi munus, & miracula patrasse, obijisse, finē fecisse sub præside ac iudice Pilato, sub coque iniquam sententiam pertulisse, ac Crucem, probrosissimū tunc supplicij genus subijisse, mortem pro nobis acerbissimam sustinuisse, & sepulturam in alieno etiam monumento sibi delatam non recusasse.

Quartus monet, Christum postquam mortuus esset in Cruce, secundum animam quidem ad inferos vsque penetrasse, tum, vt mortuis, & damonis deuictorem, tum vt patrum ibi detentorum liberatorem sese declararet: Secundum corpus autem, triduo in sepulchro iacuisse.

Quintus articulus profiteatur, Christū tertio die victorem ex inferis redeuntem ad vitam immortalem, & gloriæ plenissimam; sua vi, & potestate ex mortuis resurrexisse.

Sextus ostendit, Christum absoluto humanæ redēptionis opere, quadragesimo à resurrectione die, in cælum propria virtute ascēdisse, vt secundum naturam humanam super omnia eueheretur, & vnus omnium maxime ab omnibus celebraretur, qui sedet in cælis ad dexteram virtutis Dei, parem, & æqualem, vt Deus, cum Patre potestatem exercens, ac diuina maiestate resplendens.

Septimus proponit extremum iudicij diem, quando Christus in humana carne rursus, à summo cælo descendet, & tremendum agens iudicem totius orbis terrarum palam vnicuique reddet, prout gessit suo in corpore, siue bonum, siue malum; ante cuius tribunal omnes homines, tum probi, tum improbi consistent; siue quos illa iudicij dies vivos adhuc in carne, vel antea mortuos offenderit.

Si queras, quomodo inter articulos fidei reputatur Deū esse, eū ratione naturali concludi possit, atque cognosci euidenter, Deum esse, & vnum esse; Respondet S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 3. ad 1. multa per fidem nos de Deo credere, & profiteri, quæ naturali ratione inuestigare Philosophi, non potuerunt: puta circa prouidentiam eius, & omnipotentiam, & quod ipse solus sit colendus, quæ omnia continentur sub articulo vnitatis Dei: Hæc ille,



Sic etiam Richardus 3. d. 25. a. 1. q. 2. At Durandus. 3. d. 25. q. 2. ait, articulum, Deum esse vnum, omnipotentem, Creatorem, & quædam alia his similia, non credi sola Fide, quia possunt vera demonstratione cognosci. Cæterum verius est, quod ait Sanctus Thomas, Deum esse vnum, esse articulum Fidei, quia articulus Fidei, non solum continet Deum esse vnum; vt Philosophi ratione naturali cognouerunt; sed vt ipsa fides docet, ac profiteretur, videlicet Deum esse vnum quidem substantia, & natura; sed tribus personis distinctum, & hoc ratio naturalis non attingit.

Si iterum quæras, cur inter articulos Fidei numeretur: Deum esse rerum omnium Creatorem; siquidem Philosophi sola ratione naturali ducti cognouerunt, Deum esse rerum omnium opificem? **Respondeo**, in hoc articulo non solum contineri Deum cuncta fecisse, aut cuncta à Deo, vt ab artifice pendere; sed etiam, Deum cuncta ex nihilo initio temporis condidisse, vt dicitur in cap. firmiter, de summa Trinitate, & Fide Catholica, & hoc ratio naturalis non demonstrat, vt ait Sanctus Thomas, prima parte quest. 1. q. 6. art. 2.

Si tertio quæras, quomodo inter articulos fidei, Apostoli retulerit Christum Dominum passum, mortuum, cruci affixum, sepultum fuisse, siquidem ipsi, hæc oculis corporis conspexerunt? **Respondeo**, ipsos vidisse Christum cruci affixum, passum, mortuum, & sepultum; sed non oculis corporis, sed fide cognouerunt, eum qui in crucem actus est, passus, mortuus, & sepultus, esse verum Deum, æternum Dei Filium, cruci affixum, passum, mortuum, & sepultum; quem admodum Thomas Apostolus vidit, & tetigit Christi vulnera, sed credidit Fide, Dei esse plagas, & vulnera.

Insuper, cur inter articulos, inquit, non ponitur Deum cuncta presentia, præterita, & futura intueri, cunctis rebus providere, cuncta suo nutu, & arbitrio moderari, vbique non solum vis, & potestate; sed etiam re ipsa verè presentem, esse spiritum ex se, & per se subsistentem, ex se, & per se bonum, primum ac summum, omnia complementem? **Respondeo**, cum Richardo 3. d. 25. a. 1. q. 2. ad quintum, ea omnia includi, & contineri in primo articulo, quo credimus vnum Deum esse omnipotentem.

Præterea: dices cur inter articulos Fidei non recenseretur, venerabile Eucharistiæ sacramentum, in quo credimus, & profiteremur esse reuera Corpus, & sanguinem Christi: siquidem in cap. firmiter de summa Trinitate, & Fide Catholica, inter alios articulos fidei, numeratur articulus de venerabili Sacramento Eucharistiæ, & articulus de Sacramento Baptismi? **Respondeo**, cum Sancto Thomas, 2. 2. q. 1. a. 8. ad 6. & cum Ricardo 3. d. 25. a. 1. q. 1. ad 4. eos articulos contineri, & includi in articulo fidei, quo credimus vnam Sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, nam per sacramenta peccata remittuntur à Deo.

Postremò obijcies, cum vna tantum sit Fides, quo pacto sint edita tria symbola Fidei? **Respondeo**, tria esse symbola fidei, videlicet

symbolum Apostolorum, Nicænum, & Athanasij, quæ quidem symbola non diuersam; sed vnam, & eandem fidem continent magis, aut minus, verbis pluribus, aut paucioribus explicatam, ad hæreses clariùs, & distinctius confutandas. Apostoli breuem fidem, & spei, professionem composuerunt, vt Christianæ fidei formulam, & credendorum regulam, quam symbolum appellarunt, siue, quia ex varijs sententijs, quas singuli in commune contulerunt, conflata est; siue, quia ea veluti nota, & testera quadam vterentur, qua desertores fidei, & subintroductos falsos fratres, qui Euangelium adulterabant, ab ijs, qui verè Christi militia sacramento sese obligarent, facillè internoscere possent atque discernere. Processu temporis in Concilium Nicænum, conuocari Patres, symbolum ediderunt, in quo pluribus verbis fidem Apostolorum, professi sunt; & Patres deinde in Concilium Constantinopolitanum primum coacti, aliqua fidei dogmata clariùs tradiderunt. Insuper in Symbolo Athanasij, quod Ecclesia ex ipsius Athanasij Fide, & doctrina recitat, quædam Fidei dogmata vberius, & distinctius explicantur.

## Cap. VI.

Quædam quæstiones circa ea, quæ  
quæ credere debet, dilu-  
untur.

**Primo Quæritur**, An sufficiat ad salutem, si quis priuatus imperitus, & rudis implicite, & generatim credat quicquid credit Sancta Mater Ecclesia: tametsi nihil prorsus credat explicitè, & speciatim? **Respondeo**, Minime. Quid dicere videantur Directo, & Rolcl. in verbo fides nu. 1. & 2. quos confutant merito Silu. fides. q. 3. Nau. in Man. c. 11. num. 22. prope finem: quonia est præceptum Fidei, quo quisq; cogitur expressim credere articulos, vt est communis Theologorum, & Canonici iuris interpretum opinio.

**Secundo Quæritur**, An vulgaris homo, & rudis expressim credere debeat omnes Fidei articulos? **Respondeo**, cum communi Theologorum Schola, tertio, distinctione 25. & S. Thomas eum hominem explicitè credere debere eos omnes Fidei articulos, quos publico ac solemnè ritu, aut verbo docet, aut vsu, & more proponit Ecclesia: ita S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. 6. 7. & S. Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Gabriel, tertio, distinctione 25. & inter Summas Angelus, Syluester, Tabienfis, Armilla verbo, fides, verbo, credere. **Quo fit**, vt quisq; fidelium credere explicitè debeat omnes articulos Fidei, vel qui iuxta numerum Apostolorum duo decim, in Symbolo cõiunctur: vel qui iuxta Theologorum sententiam, quatuor decim proponuntur, quoniam omnes eiusmodi articulos publico, & celebri more credendos proponit Ecclesia; vel publicè docendo, & cantando, vel solemnè ritu, & cæremonia colendo, & celebrando: nam Trinitatem profiteremur, dum vsu, & more, nos Crucis signo munimus.

**Tertio Quæritur**, An quisque etiam vulgaris, & rudis credere explicitè debeat aliquid aliud, præter prædictos Fidei articulos, sunt qui



id affirmant ea ratione permoti, quod vnusquisque expressim credere debeat, immortalem esse animam hominis. Item, esse peccatum originis, quod quisque communi generatione ex Adamo procreatus contrahit: Baptismum esse simpliciter ad salutem omnium necessarium; & sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse ad remissionem peccatorum, quæ quis post Baptismum susceptum lethaliiter admittit. Insuper in venerabili Eucharistiæ Sacramento re ipsa, & verè Christi Domini corpus, & sanguinem esse. Sed retinenda est communis sententia Theologorum asserentium sufficere, si quis explicitè credat prædictos fidei articulos: quorum reliqua credenda in his, aut explicitè, aut implicitè continentur. Nam qui credit Deum esse gloriæ datorem, eo ipso explicitè quoque credit iustos cœlestem, & sempiternam gloriam cōsequuturos improbos verò perpetuis apud inferos suppliciiis puniendos: vnde eo ipso credit animam rationis participem esse immortalem nunquam interituram. Qui credit Deum esse sanctificatorem hominum, in eo articulo explicitè quoque credit salutem homines consequi per sacramenta à Christo Domino insituta, vt remedia contra peccata: vnde eo ipso creditur Baptismum esse omnibus adultis & paruulis necessariū ad salutem: & credit quoque singulos baptismum debere suscipere, vt à peccatis soluantur, ac proinde, vt mudentur ab originis peccato, quod ex primis parentibus contraxerunt: vel necessarium esse pœnitentiæ sacramentum ad lethalia peccata delenda, quæ post baptismum committuntur: similiter credimus explicitè cum ad venerabile Eucharistiæ Sacramentum accedimus, sumere nos corpus Christi Domini, quod re ipsa in eo Sacramento est.

Quarto Queritur, An sufficiat ad salutem, si quis hominum credat explicitè quatuordecim articulos Fidei, prout Theologi eos enumerant, ac reconferunt? Ratio quæstionis est, quia plures articuli in Symbolo Apostolorum continentur, ergo vel quilibet fidelium compellitur præcepto ad credendum, quæ in Symbolo proponuntur; & proinde non sufficere vnique ad salutem credere quatuordecim articulos, prout à Theologis proponuntur; aut si quidem satis sit expressè quatuordecim credere Fidei articulos, consequens erit, vt nemo præcepto cogatur credere explicitè totum Symbolum Apostolorum. Quorundam est opinio, vnumquemque fidelium debere credere, quicquid expressè in Symbolo Apostolorum continetur; & ob id minimè sufficere, si singuli credant explicitè quatuordecim duntaxat articulos Fidei; quoniam quisque præcepto ac lege compellitur ad credendum expressim descensum Christi Domini ad inferos, vnam, Sanctam, & Catholicam Ecclesiam, sanctorum cōmunionem, peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, perpetuam Dei paræ virginitatem: de quibus singulis nihil explicitè quatuordecim articuli Fidei præscribunt. *Mihi tamen videtur dicendum, facis esse ad salutem cuique fidelium credere explicitè quatuordecim articulos Fidei, vel Symbolum Apostolorum: hoc enim habet cōmunis Theologorum sententia: & idcirco quis credens quatuordecim*

fidem Fidei articulos, non est, cur obligatus esse censeatur ad aliquid aliud nominatim, & expressè credendum, si homo sit vulgaris, & rudis. Obijciat: Quilibet etiam rudis, & imperitus debet addiscere, & nosse Symbolum Apostolorum, ergo non satis est, si credat explicitè quatuordecim articulos Fidei. Respondeo, negando esse idem de obligatione, & præcepto addiscendi Symbolum Apostolorum, quod est de præcepto credendi explicitè res Fidei. Nam præceptum addiscendi Symbolum Apostolorum est Ecclesiasticum, de quo præcepto postea differemus; præceptum verò explicitè credendi res Fidei, est diuinum, ad salutem cuiusque necessarium: & hoc præcepto dicimus compelli etiam rudes, & imperitos, ad credendum explicitè articulos Fidei, siue, vt in Symbolo Apostolorum continentur, siue, vt à Theologis proponuntur, iuxta numerum quatuordecim sententiarum: quoniam qui hoc aut illo modo res Fidei explicitè crediderit, eo ipso, expressim credit, quæ ad diuinam pariter, & humanam Christi Domini naturam pertinent. *Hæc autem est vita æterna (ait ipse idem, ) vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et qui credit Deum esse Saluatorem, eo ipso credit vnam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam, & Sanctorum cōmunionem, & peccatorum remissionem.

Ioan. 17.

Quinto Queritur, quænam sit substantia singulorum articulorum Fidei credendorum, prout absolutè, & simpliciter credi debent à quouis etiam rudi, vulgari, & imperito homine? Quidam arbitrantur, in substantia singulorum comprehendere ea, quæ sequuntur: in quatuor primis articulis ad diuinam naturam attinentibus contineri, vt credenda; in vnitrate naturæ diuinæ, esse distinctionem trium personarum, & Spiritū sanctum à Patre, & Filio procedere. In articulo quinto, quo credimus Deum esse creatorem, ad substantiam credendorum pertinere, quod Deus visibilia omnia, & inuisibilia ex nihilo condiderit, & in certo quodam tempore; & quod ea omnia conseruet, gubernet, & curet. Et in articulo sexto tanquam credendum proponitur, Deum peccata remittere, gratiam adoptionis conferre, peccatores sibi recōciliare. Ad substantiam item articulorum de conceptione, & natiuitate Christi spectare tanquam credendum, eum esse conceptum virtute Spiritus sancti, absque vlla hominis opera; eundem natum ex Virgine incorrupta semper permanente: descendisse ad inferos corpore in sepulcro iacente, & diuinitati coniuncto; secundum animam verò etiam naturæ diuinæ coniunctam, ad inferos penetrantem, & sanctorum patrum animas illinc eruentem, propria deinde virtute ad cœlos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, ei per omnia sæcūla naturam diuinam æqualem; secundum humanam verò naturam, gloriam, potentiam, & maiestatem super omnes cœlestes spiritus habentem.

Sed mihi probabilius, & verius videtur, quod docet Gabriel. *in 3. d. 25. q. 1. 2. cons. 5. debere quidè explicitè credi substantiam singulorum articulorum; sed nomine substantiæ intelligi id, quod simpliciter, licet confusè, & generaliter, significatur.*



Vocibus in articulo contentis. Hoc explico in hunc modum: substantia articuli Trinitatis est, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & hos nequaquam esse tres Deos, sed unum Deum; hoc enim satis est, si sic confusè, & generatim rudis, & vulgaris homo credat. Nam in Deo esse unitatem nature, & reuera distinctiōnem Personarum, ad explicatiōnem eius articuli pertinet, quæ doctorum est, non rudium hominum. Eodem modo substantia articuli, quo credimus unam sanctam, & Catholicam Ecclesiam, est, neminem posse saluum esse extra congregationem Ecclesiarum, qui Christi Fidem, & religionem profiterentur susceptam: & posse salutem obtineri intra hanc ipsam congregationem hominum piorum, & fidelium.

Sextò Quæritur, An si quis adeo hebeti, & obtuso sit ingenio, ut ipsos articulos secundum substantiam capere nequeat, fidei præcepto satisfaciatur, si aliquos clariores articulos explicitè credat, reliquos verò, quos non assequitur, credat implicitè, credens generatim quicquid credit Sancta Mater Ecclesia? Respondeo, satisfacere, si autem nullum articulum explicitè crediderit, ei non sufficit credere implicitè, & generatim quicquid credit Sancta Mater Ecclesia. Quanquã Rosel. & Directo. verbo fides, num. 1. & 2. Innoc. Hostien. Ioann. And. & Abbas cap. 1. de sum. Trinit. & fide Cathol. docere videatur, iustificare, si explicitè credat, Deum esse, & beneficia debitis premijs afficere, malefacta supplicij punire, & reliqua credat implicitè. Quare si quis Trinitatis articulum nequeat percipere, satis est, si credat explicitè alios clariores, nimirum Christum Dei Filium natum ex Virgine, passum, cruci affixum, mortuum, & sepultum, ex mortuis resurrexisse, & in caelos conscendisse.

Septimò Quæritur, An possit in quempia piorum, & fidelium hominum cadere ignorantia iusta, & probabilis, quam invincibilem vocant. omnium articulorum Fidei? Respondeo, difficile esse creditu, posse id evenire. Nam cum fideles, & pij homines inter Christianos nutriantur, instruanturque, sepius audire solent articulos Fidei Christiana, cum eos de more proponat Ecclesia. Fieri tamen potest, ut quis in puerilitate ad aliquod rebus ignoret probabiliter absque peccato articulos Fidei, eò quòd malò sit à puero educatus: absque vlla profus cura, & studio sciendi res Fidei: vel quòd parentes non habuerit, vel certè, quòd negligentes, aut ignaros fuerit fortitus, vel quòd in agris, & sylvis tanquã inter pecora, & armenta fuerit educatus, vel denique, quòd apud Gentes à Fide, & religione Christi alienas, ac veri Dei ignorantia cæcas fuerit commoratus. Fieri item potest ipsdem de causis, ut quis etiam adultæ, & proejectioris ætatis multas res Fidei ignoret absque peccato, ac proinde in culpa non sit. Nam præcepti, & legis ignorantia probabilis, & iusta excusat à peccato. In hominem itaque Christianum à parentibus fidelibus, ac pijs progenitum, & inter Christianos nutritum, & institutum, ignorantia probabilis omnium articulorum vix cadere potest. Aliquorum tamen, quos non ita publico, & solemnari

tu celebrat, & decantat, ac docet, & tradit Ecclesia, potest.

Octavò Quæritur, An si quisquam laicus, rudis, & ignarus credat falsa, nescio, qua ratione per motus, Patrem in diuinis esse Filio maiorem, seniore, antiquiore, ut in humanis cõtingit, aut credat tres personas Divinas esse loco distinctas, excusetur per ignorantiam, dummodo credat implicitè quicquid credit Ecclesia? Innocentius, Hostien. Ioann. Andreas, Panormitanus in Rubrica de sum. Trinit. & fide Cathol. docent huiusmodi hominem non solum ab hæresi excusari, quia nihil pertinaciter contra Ecclesiam credit: sed etiam à peccato, quia eius ignorantia est probabilis, & iusta. Idem tradit Gabriel 3. d. 25. q. 1. 2. concil. 5. Rosella, Fides, num. secundo. Navarrus in summa. ca. 11. num. 22. putat, eum hominem liberum quidem esse ab hæresi, quia credit, quicquid tradit Ecclesia; non tamen esse à peccato immunem, ac vacuum: quia ignorat, quæ scire debet, & proinde eius ignorantia peccatum est, cum sit eorum, quæ ad suum statum, & officium pertinent, in eo tamen error contra Fidem, quia pertinacia caret, hæresis nequaquam est: quamvis si res hæc ad forum exterius deferatur, puniri tanquam hæreticus possit ob hæresis suspitionem. Hæc Navarrus. Idem planè de rusticis, & imperitis hominibus iudicium est, qui de vniuersa Sanctæ Ecclesiæ Catholice articulo rogati, respondent se nomine Ecclesiæ Catholice intelligere templum corporale, quod in hoc, vel illo oppido sit extractum. Pari ratione, si qui homines credant, mentis cognitione ducti, Deum esse magnum quandam Principem, seu Regem humana effigie præditum, in excelso corporali solo sedentem, excusantur ab hæresi, modo credant implicitè, quicquid credit Ecclesia.

Nonò Quæritur, An rusticus, & imperitus homo, qui suo Parrocho Fidem habens, credit aliquid contra articulum Fidei, quem antea explicitè credebat, excusetur ab hæresi, & à peccato? Scotus, & Gabriel 3. d. 25. q. 1. videtur docere, eum posse ab utroque excusari: ab hæresi quidem, quia credit implicitè quicquid credit Ecclesia, corrigi paratus; & proinde pertinax non est: à peccato verò ignorantia; quoniam antea nouerat, & crediderat explicitè: nunc vero Parochum audiens, bona fide putat se antea deceptum, cum existimet magis esse credendum suo Parrocho cõterarium tradenti, & docenti. Navarrus lococitato, iuxta prædicta docet, eum quidem ab hæresi esse liberum, non tamen à peccato ignorantia, cum s explicitè nosse, & credere Fidei articulum lebeat. Sed verius est, quod Scotus, & Gabriel tradiderunt. Potest enim nunc obliuisci istud, quod habuit antea nouerat, & crediderat: ac proinde potest sequi bona fide sui Parrochi sententiam, quam non putat esse Fidei cõterariam.

Decimò Quæritur, quidnam laici adultæ rationis vlym conlocuti explicitè credere debeant? quid item Clerici? Innocentius Hostien. Ioann. Andreas, & Panormitanus in Rubrica de sum. Trinit. & fide Catholice, & capitulo primo eor. Directo, & Rosel. Verbo Fides, num. 1. & 2. docent



laicos explicitè credere oportere, vnum esse Deum remuneratorem iustorum omnium; & bonorum operum, & vindicem malefactorum, alios verò Fidei articulos implicitè: Clericos porro, quibus est cura animarum iniuncta, aut qualescunque præceptum impositum docendi alios, quæ sunt necessaria ad salutem æternam consequendam, debere explicitè credere omnes articulos Fidei: Episcopos autè oportere eosdem Fidei articulos ita nosse, vt possint eos explicare, distinguere, defendere, & eorum omni poscenti ratione reddere. Cæteros porro Clericos nullam animarum curationem habentes, aut præceptum alios instituendi, solum lege compelli ad id sciendum, & credendum, quod laici scire, & credere debent; dummodo tamen sciant ministrare altari, & inseruire Ecclesie, secundum eum ordinem, quo sunt initiati. Verius tamen est id, quod tradit communis Theologorum opinio nimirum S. Thomas, Bonaventura, Ricardus, Durandus, Scotus, Gabriel. 3. *distin.* 25. laicos debere explicitè credere articulos Fidei, saltem eos, quos publicè celebrat, cantat, proponit, aut docet Ecclesia; qualis est articulus summæ illius indiuiduæ Trinitatis: quales item sunt articuli, qui ad Humanam naturam Christi Domini pertinent, vt eum esse conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine, passum, crucifixum, & sepultum, è mortuis ad vitam rediisse, & in cælum ascendisse. Si queras, quid sit explicitè quippiam credere, & quid credere implicitè: Respondeo cum Gabriele 3. *d.* 25. q. 1. a. 1. nos. 2. eum credere explicitè aliquid, qui assentitur alicui rei sibi dictæ, vel quam cogitatione concepit, is verò credit implicitè, qui credit aliquid generatim, & in eo credit multa alia, quæ in eo continentur, vt cum credit quis omnia, quæ credit Ecclesia.

## Cap. VII.

*De numero præceptorum Fidei, de quæ obligatione, qua fideles tenentur.*

**P**rimò Queritur, quot sint præcepta Fidei? Respondeo, ad Fidem tria præcepta reuocari: **primum** est præceptum sciendi res Fidei: **secundum**, credendi eas: **tertium**, confitendi debito, & opportuno tempore Fidem. Duo prima consummantur, & perficiuntur actu mentis interno, ex pie voluntatis studio, & affectu: tertium, opere externo completur.

**Secundò** Queritur, præceptum sciendi res Fidei, quando incipit nos obligare? Respondeo, in hunc modum statim atque aliquis rationis est compos, siue Christianus sit, siue à Christi religione alienus, incipit hac lege, & præcepto teneri quoniam est iuris diuini præceptum, & ad salutem æternam necessarium: Nam teste Paulo; *sine fide impossibile est placere Deo*: ergo quisque, cum primum vsum rationis consequitur, incipit lege diuina obligari ita, vt res Fidei scire debeat, cum oporteat eum in hoc studium, curam, & operam suam collocare, vt assequi possit vitam æternam. **Obijcies**: Lex vim obligandi non habet, nisi promulgetur: at lex Fidei non est vbique,

promulgata; nam multæ sunt gentes, quæ nihil adhuc de Fide penitus audierunt. Respondeo, eos quibus lex Fidei non est promulgata, excusari à peccato contra Fidem propter ignorantiam: quæuis, (vt rectè docuit S. Thomas. 2. 2. *questione decima, articulo primo ad. 1.*) possint in æternum damnari propter alia crimina scienter contra legem naturæ commissa: nec aliquis cum sola naturalis legis noticia, & obseruatione salutem, iustitiam, & gratiam adipisci potest: nam sine fide impossibile est placere Deo.

**Tertiò** Queritur, An singuli fidelium lege, & præcepto compellantur ad sciendos omnes Fidei articulos? Respondeo compelli, vel ad sciendum articulos Fidei, vt Theologis proponuntur, qui sunt quatuordecim supra iam expositi, iuxta numerum eorum, quæ de Christi Domini natura Diuina, & Humana creduntur: vel prout in Symbolo Apostolorum continentur, duodecim sententijs comprehensi, iuxta numerum duodecim Apostolorum: licet multi aliquando à peccato excusentur, aliquos articulos ignorantes, vel quia adeo sunt hebeti ingenio, vt eos capere non possint: vel quia nihil vnquam de huius præcepti vi, & auctoritate audierint; vel quia nacti doctores non sint, à quo possent institui, vel quia huius rei sunt penitus obliui.

**Quartò** Queritur, An singuli Christiani vi præcepti Diuini debeant Symbolum Apostolorum, vel quatuordecim Fidei articulos discere, aut memoriæ mandare, aut memoria tenere? Respondeo, Ecclesiastici quidem præcepti vi, non Diuini, vt dicam inferius, debere discere. At eos excusari ab articulis Fidei discendis, & in memoriæ redigendis, eo ordine, quo vel in Symbolo Apostolorum continentur, vel à Theologis traduntur. Satis enim est, si de singulis articulis rogati rectè respondeant. Non enim idem est, Fidei articulos addiscere, aut memoria tenere, aut memoriter referre, quod scire: multi enim sciunt, quæ ad suum officium munusque spectant, qui tamen ea memoriter narrare non possunt, cum tamen de singulis rogati probè nouerint hæc esse faciendæ, illa non item; hoc esse credendum, illud verò minimè, vt statim dicemus. Ergo articulos Fidei scire debemus, non autem memoria tenere, aut memoriter recensere.

**Quintò** Queritur, An singuli fidelium præter articulos Fidei, scire, addiscere, & memoriæ tradere debeant alia doctrinæ Christianæ rudimèta, & principia; veluti precationem dominicam, salutationem angelicam, Decalogi præcepta, & quinque Ecclesie mandata, & septem demum sacramenta à Christo instituta, & modum, quo quisque signo crucis salutari, se signare, & munire debeat? Dux sunt opiniones, prima est quorundam iuniorum asserentium singulos fidelium præcepto, & lege compelli ad hæc omnia sciendæ, discendæ, & memoriæ mandandæ: quia quisque debet scire, quæ ad suum statum, officium, munusque pertinent: sed ad statum vniuscuiusque Christiani spectat explicitè credere articulos Fidei, & Deum precari, eius auxilium, opem, & gratiā inuocare, & seruare omnia Decalogi præcepta, quinque item Ecclesie mandata, & sacramenta suscipere, per quæ gratiam consequimur.

Secunda,



Secunda vero opinio negat singulos fidelium lege compelli ad haec omnia perdiscenda, ratio eius est, quia nullum extat eiusmodi praeceptum; Neque enim est diuinum, ut planum cuius, & perspicuum est; quoniam non omnia praedicta sunt iuris diuini; nec est naturale, cum non omnia ad naturae ius spectent: nec ecclesiasticum, quia nusquam legitur constitutum.

In hac controuersia illud primo loco dicendum est, nequaquam iuris esse diuini, uti haec omnia discantur, aut memoriae mandentur, vel memoria teneantur: Siquidem Ecclesiae praecepta iuris diuini non sunt, nec item Salutatio Angelica. Deinde, iuris naturalis non est, uti haec omnia addiscantur. Nam licet iure naturali debeamus Deum precari, & orare, eiusque diuinam opem in difficultatibus, & periculis implorare; haud tamen praecipitur cogimur, certa, & praescripta verborum formula uti ad Deum inuocandum, & obsecrandum. Item, licet iure naturali a furto, homicidio, adulterio, periurio, detractione, falso testimonio abstinere debeamus, non tamen consequitur, ut vi praecipitur Decalogum memoriae commendemus, satis enim est, si quibus fidelium rogatus, An sit furandum, peccandum, mentendum, adulterandum, occidendum, detrahendum, & falsum testimonium contra aliquem dicendum, respondeat, Minime; quoniam furum, periurum, mendacium, homicidium, adulterium, & falsum testimonium suapte natura sunt mala, & sic caetera quisque scire debet, non tamen memoriae mandare, aut memoriter referre, quae ad suum officium, & statum pertinent.

Præterea planè constat, in Ecclesia fuisse praeceptum longo usu, & consuetudine confirmatum, ut singuli fidelium discerent, & memoriae maderent Symbolum Apostolorum, Precationem dominicam, & bene ac Christianè agendi institutum, & regulam. Nam in cap. vos ante omnia, de consecratione distinctione quarta, ex Augustino refertur: vos ante omnia, iam mulieres, quam viri qui filios in Baptismo suscepti, moneo, ut vos cognoscatis fideles apud Deum existisse pro illis, quos vixi estis de sacro fonte suscipere: ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant: ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis, quos de sacro fonte suscepistis, ostendite. Haec ille, quibus quidem in verbis expressè nihil apparet, ex quo praecipitur obligationem aperte deducere possumus, qua compellamur ad praedicta omnia addiscenda. Nauarrus in Manuali, capite undecimo, num. 22. in capite, quando, de consecratione distinctione prima Paludatum in quarto distinctione, 15. questione quinta lectus, ait, esse praeceptum, sed cuius transgressio sit tantum venialis culpa, non lethalis. Medina vero nullam vult esse praecipitur obligationem addiscendi praedicta, Angelus, Syluester, Tabienfis, Armilla, in verbo fides, docent singulos fidelium praecipitur cogi ad discendum articulos Fidei, seu Symbolum Apostolorum, precationem Dominicam, Decalogi praecepta, & modum se Crucis signo munendi; & nihil aliud tradiderunt. Attamen negare non possumus, eos auctores postea seiplos explicuisse, dum addunt, sufficere quidem, si haec omnia sciatur; licet non memoria teneantur;

Medina de oratione q. 10.

sufficere item, si quis rogatus de singulis credendis, & agendis, nouerit ad interrogata respondere. Obijcies, in Concilio Moguntino sub Carolo Magno capitulo 45. esse constitutum, Symbolum, quod est signaculum Fidei, & orationem Dominicam discere, semper admonere Sacerdotes populum Christianum: verum quoque, ut disciplinam condignam habeant, qui haec discere negligunt: sicut in ieiunio, sive in alia castigatione erocentur: in concilio etiam Foroiulensi sub Carolo, & Pipino post symbolum fidei recitatum dicitur: Symbolum vero, & orationem Dominicam omni Christiano memoriter sciat, omnis aetas, omnis sexus, omni que conditio, masculi, feminae, iuuenes, senes, serui, liberi, pueri, coniugati, inuoluti, & pueri: quia sine hac benedictione nullus poterit in caelestis regno percipere portionem: Item in concilio Remensi sub eodem Imperatore, capitulo secundo, deccitur, ut omnes orationem, quam Dominus noster, Iesus Christus discipulis suas orare docuit, verba discerent, & sensu bene intelligerent: quia illam ignorare nulli Christiano licet. Denique in Concilio Toletano quarto, capitulo nono dicitur, orationem Dominicam quaedam Sacerdotes discere deberent, quia cum Saluator noster docuit, & praecipit: & quia sine intermissione orandum est, quotidie dici debet, quod quotidie dici iubetur. Sed licet tantum probant fuisse Ecclesiarum olim praecipitur, ut singuli discerent Symbolum Apostolorum, & precationem Dominicam, nimirum, ut quisque sciret, quid esset petendum a Deo, & quid de Deo credendum. Fatemur igitur, iure tantum naturali, & diuino debere nos Deum precari, eius auxilium implorare, sine hac, sive illa verborum praescripta formula vitamur. Monendi tamen sunt singuli, ut precationem Dominicam addiscant, & memoriae tradant; licet satis sit, si quisque sciat petere ea, quae in precatione Dominica continentur. Item, qui obfusore sunt ingenio, non sunt cogendi, ut praecipitur Decalogi recitent memoriter, aut memoriae mandent eo ordine, quo in lege continentur, uti iam dixi satis, si de singulis eorum rogati, an hoc sit faciendum an fugiendum, an illud sit bonum, an malum, rectè ac verè responderent, hoc enim est scire Decalogi praecepta. Postremo monendi sunt, ut Ecclesiae sacramenta perdiscant: neque tamen condemnandi sunt tantum praecipitur violatores si non didicerint, dum modo id sacramentum nouerint, quod suscipere, lege, & praecipitur coguntur: hoc enim est singulos scire, quae ad ipsorum statum, & officium pertinent: Negari profectò non potest, in magno periculo veritari eos qui fidei articulos, & decem diuinae legis praecepta non discunt. Et magna est parentum, & pastorum Ecclesiasticorum negligentia, qui haec a suis, quorum curam habent, discenda non curant: Sed quaerit qua lingua, & sermone prima Christianae doctrinae, & fidei elementa quisque discere debeat? Quidam aiunt, vernacula lingua, & sermone ea esse singulis perdiscenda; quò facilius capiuntur: & certè id videretur commodius, & utilius, & mori ac vsui Ecclesiae congruentius. Ceterum, & latina, & vernacula lingua ea quisque discere iure potest, ut Nauarrus insinuat: nam sufficit vernaculique, cum de singulis rogatur, si verò, & rectè respondeat.

Sexto Quaeritur, quando nam credendi praecipitur.

pro,



## Cap. VIII.

## De Peccatis, quæ contra Fidem admittuntur.

**P**rimò Quæritur, quod sit primum peccati genus, quod contra Fidem committitur: **R**espondeo, esse ignorantiam rerum credendarum: nam ut paulo antè iam dixi præcepto, & lege compellimur ad articulos, & prima fidei rudimenta, & principia scienda.

Secundò Quæritur, An ignorantia rerum credendarum sit per se peccatum? Quidam opinantur non esse, sed tantum esse causam peccati: sicut, inquit, ignorantia rerum agendarum non est per se peccatum, sed solum ideo est mala, quia est causa peccati, qua in agendo peccamus. **E**odem modo, ignorantia rerum credendarum non est mala per se, sed quia causa est, ut in credendo labamur. **S**ed mihi verius videtur, quod alij senserunt asserentes ignorantiam rerum credendarum esse per se peccatum; quia est ommissio eius, quod scire debemus: omnis autem ommissio iusti ac debiti præcepti, est per se peccatum. Ex quo efficitur, ut si quis res Fidei ignoret; quas scire debet, hoc ipso peccato sese commaculet, siue postea credendo erret, siue non erret.

Tertiò Quæritur, An ignorantia credendorum sit per se peccatum, an verò ratione negligentia in rebus Fidei sciendis? Duplex est opinio, prima, communi consensu Theologorum recepta, docet solum esse peccatum ratione negligentia, quod ea ratione probatur, quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; ac ignorantia credendorum, nisi sit cum negligentia coniuncta, voluntaria non est. Secunda opinio affirmat ignorantiam rerum credendarum esse per se peccatum: quod sic colligunt, quia negligentia in sciendis rebus Fidei ideo est mala, quia res Fidei scire debemus. Deinde ommissio iusti, & debiti præcepti per se est mala, & non ratione negligentia: quin potius negligentia censetur mala; quia mala est ipsa ommissio præcepti: sed ignorantia rerum credendarum, est iusti ac debiti præcepti ommissio, ergo est per se mala. **H**æc opinantium varietas nata est ex alia controversia, qua quæritur, An actus exterior, id est, alterius facultatis, quam voluntatis; quando sunt ex re obiecta mali, sint per se peccata, an verò, quia voluntarij sint, ideo sint in culpa, & vitio? de qua quæst. 1. libro tractatus cap. 12. q. 3. or 4. Porro cum multorum Theologorum opinio doceat huiusmodi actus esse malos, quia sunt voluntarij, ideo in præsentia similiter ignorantiam credendorum plerique volunt, non esse per se peccatum, sed tantum ratione negligentia, unde est voluntaria. Ego verò in eo libro tradidi, requiri quidem ad rationem culpæ voluntarium, & liberum, tanquam conditionem sine qua nulla culpa, peccatumque esset rationem, qua aliquid est per se malum; non ex voluntario, & libero sumi, sed ex ordine, & respectu rationis, nimirum, quia sit rationi dissentaneum, ut potè regulæ moris contrarium. Nec enim (Verbi Gratia) furtum in culpa, & peccato esset, si voluntario careret: At verò non quia voluntarium, ideo est malum rationis. Sed quia per se à ratione dissentit; & cum ipsa ratione pugnat; &

pro, & lege singuli teneantur? **R**espondeo: si de ijs loquamur, qui nondum sunt ad Christi fidem, & religionem cõversi, non eos præcepto compelli ad credendum, confessum atque fidem Christi si bi promulgatam audierint, non enim prudentis est statim audita credere: sed cum primum prudentia, & ratio incipit præscribere, esse credendas auctoritates res Fidei, incipiunt lege, & præcepto teneri, ita ut eas credere debeant, qui audierint: ut cum res Fidei proponuntur tanquam admodum credibiles, miraculis, testimonijs, exemplis, rationibus, signis, & coniecturis non paucis confirmatæ. Si verò loquamur de fidelibus, & pijs hominibus qui iam fidem Christi susceperunt; præceptum credendi vim habet obligandi eos, ita ut actum credendi explicitum, vel implicitum elicere debeant eo tempore, quo charitatem, quam ante peccando amiserunt, recuperare per veram cordis poenitentiam lege, & præcepto coguntur: nam actus charitatis, & poenitentia, quo peccator ad divinam gratiam redit, est coniunctus cum actu spei, quo, secundum Dei promissionem, veniam peccatorum speramus. Spes autem non est sine fide. **S**ed **Q**UÆRITUR, An fidelis, qui est gratia, & charitate Dei præditus, ita præcepto fidei teneatur, ut debeat certo aliquo tempore fidei actum elicere? **R**espondeo, actum fidei esse nobis imperatum à Deo tanquam remedium necessarium ad iustificationem impij, tum fidelis, tum infidelis: Et proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem, cum impius lege, & præcepto compellitur ad iustitiam adimplendam: qua obtemperata, præceptum fidei non habet amplius vim obligandi, ut remedium ad iustificationem, habet tamen ut est præceptum virtutis theologicae: quia in iis facile non fit, ut ait Basilius, 2. q. 22. a. 1. dub. 2. designare tempus certum, quo obligat præceptum credendi, ut esse actus virtutis: Satis probabiliter dicitur speciale tempus, quo quis credere debet, esse quando tentationes insurgunt, quibus tentatur fides hominis; ita ut certo tempore fidei actum elicere debeamus, semper tamen eo præcepto tenemur, ne aliquid contra Fidem credamus. Et idè iuris est de præcepto spei & charitatis.

Septimò Quæritur, quando iam præcepto cõfiteri Fidem obligemur? **R**espondeo, quandoque præcepto compellimur ad excitandos alios ad Fidem; ad iuvandos eos in Fide suscipienda; ad confirmandos eos, ne à Fide deficiant: item, quandoque præcepto cogimur alios docere res Fidei, & religionis Christianæ, & Catholice: Item, quandoque debemus offensionem aliorum deuitare, ne si Fidem cælemus, nos Christianos esse negare videamur. Præterea, quandoque nobis imminet probabile periculum, ne Fidem abnegemus, præcepto compellimur ad Fidem cõfitemdam. Insuper, quandoque ita obligamur, ut religionis actum præstare nos oporteat, hoc est, debitum cultum; honorem, & venerationem vni verò Deo tribuere, eo ipso tunc præcepto cogimur Fidem saltem implicitè professeri, verbo nimirum, vel factò, vel signo: nam ipse religionis cultus quædam est Fidei implicita professio.



ideo potius voluptas furandi habetur mala, quia furtum est malum rationis. Furtum verò ideo est malum rationis, quia est obiectum, quod cum recta ratione pugnat: furtum enim per se, siue fiat, siue non fiat, est recte rationi contrarium, quãdo cum ipsa ratione comparatur: nam ratio præscribit ac præcipit non esse furandum, siue furtum esse fugiendũ. In præsentia igitur, dicimus, ignorantiam credendorum requirere voluntarium, & liberum, vt in culpa, & peccato sit, & proinde negligentiam requirere: sed nihilominus, esse per se peccatum, hoc est malum rationis, quia est omisso iusti, ac debiti præcepti, & proinde à recta ratione dissentit: quæ etiam, antequam velit res fidei ignorare: & antequam negligat rerum credendarum scientiam, à recta ratione dissentit: nam recta ratio præcipit, vt scias ea, quæ nosse debes: ne ignores, quæ te scire oportet.

**Quartò** Queritur, An si quis per ignorantiam voluntariam in errorem contra fidem inciderit, videlicet in hæresim, duplex peccatum admittat, nimirum hæresis, & ignorantia? **Respondeo**, si ita incidat in errorem fidei contrarium per ignorantiam voluntariam, credens tamen implicite, quicquid credit Ecclesia, paratus corrigi, nullo eum hæresis crimine maculari, quia non est, in credendo pertinax, & proinde solum in culpa est, quia res fidei quas nosse deberet, sua sponte ignorat. Si verò ita in fide labatur, vt suo errori scienter contra Ecclesiam adhaerescat, tunc sese hæresis scelere obstringit, cum sit in credendo pertinax, & proinde hæreticus est, nõ autem rerum credendarum ignarus. Nõ igitur sunt duo peccata simul, ignorantia fidei, & hæresis, sed alterum duntaxat.

**Quintò** Queritur, quo pacto se gerere debeat is, qui penitentium confessiones excipit, quando eos, qui ad confitendum accedunt, fidei articulos ignorare cognouerit, & an poenitentes omnes interrogare debeat, nõ fidei articulos nouerint, & an à sacramento poenitentia repellendos curabit, qui eos ignorauerint, an item ignaros, & rudes docere debeat fidei articulos? **Respondeo** in primis, eos nequaquam esse à Sacramento reijciendos: nõ vel nunquã admoniti fuerunt se ad articulos sciendos lege, & præcepto cõpelli, vel si aliquando hac de re sunt admoniti, aut commodè addiscere non potuerunt, quia doctore, & magistro caruerunt: aut quia alijs negocijs, & curis distenti, in ijs addiscendis articulis studium, & operam ponere nequiverint; vel quia eius rei fuerit penitus oblitus: & in his casibus excusantur à peccato: eò quod ignorantia probabilis, & iusta esse videatur. Item, si semel tantum, aut iterum de hoc fuerint admoniti, licet id nõ prestiterint, haud sunt tamen à Sacramento excludendi, si eos suæ negligentia poeniteat, seque exhibeat promptos, & paratos ad articulos in posterum addiscendos. Præterea, si sæpè de hac re certiores facti, eam neglexerint, tunc illorum confessio non est audienda; sed ad tempus differenda, vt interim fidei articulos perdiscant, si id commodè prestare possint. Quod si id fieri nequeat, tunc presbyter aptiori, quo potuerit modo, eos instituat, ac postea eorum confessiones excipiat. **Secundò**,

confessarius debet rogare eos, qui ad confitendum accedunt, sciant necne fidei articulos, quos probabiliter iudicauerit, aut dubitauerit ignorare prædictos articulos: quales sunt multi rusticivulgares homines, rudes, & imperiti. Nõ tamen cogitur ad rogandũ eos quos probabiliter crediderit scire; vt ferè sunt nobiles viri, aut alij bene à pueritia educati, & instituti, & ij, qui solè præceptoribus in re literaria operam dare, & ij, qui crebrè Sacerdoti sua peccata confiteri consueverunt.

### Cap. IX.

#### De Hæresis crimine.

**Primo** Queritur, quid sit hæresis? **Est** error intellectus siue mentis voluntarius ex electione, & pertinacia contra aliquam sententiam fidei. Dicitur error, hoc est, assensus falsus, intellectus siue mentis, quia sicut actus fidei intellectu cõsummarur, cum sit assensus rationis verus, & certus, licet obscurus; sic etiam error fidei contrarius, intellectu siue mente completur. **Falsitas** verò, quia sicut assensus fidei oritur, & existit ex pio voluntatis affectu; ita etiam hæresis est assensus rationis contra fidem ex voluntatis electione profectus: Vnde hæresis Græcis dicta est, quasi electio, optio, secta, quæ hæreticos à Catholicis, quibus est summa in fide, & religione cõcordia, disungit, ac segregat. Quo fit, vt assensus contra fidem, si deliberatione careat, non sit hæresis, tales enim multi sunt motus rationis, qui subitò contra fidem irrepunt (ex electione, & pertinacia,) quia hæresis nõ est, nisi cum quis in fide scienter errat. Et proinde nascitur, existit, ac pendet electione voluntatis cum certa scientia, quæ in eo consistit, vt is, qui errat, sciat Ecclesiam contrarium sentire. **Pertinacia** itaq; non significat certam aliquam temporis durationem, & moram, vt quidã existimant, inter quos videtur esse Silu. hæresi, 2. quest. 2. **versic. sciendum est;** nam vno momento temporis potest quis esse simpliciter hæreticus: sed significat voluntatis electionem cum certa noticia eius, quod credit, & sentit Ecclesia. **Vltimò** dicitur, contra aliquam sententiam fidei, quia error in alijs rebus non est hæresis: ergo potest quis in multis errare, qui tamen hæreticus nõ sit.

**Secundò** Queritur, quot & quæ requirantur, vt aliquis sit hæreticus? hoc est, quæ sint ea, quæ hæreticum constituunt? de qua questione. Anton. p. 2. tit. 12. cap. 5. Silu. Ange. & alij verba. **hæresis, aut hæreticus, in principio.** Canus. lib. 12. de loci Theol. cap. 8. **Respondeo**, requiri potissimò quatuor: **primò**, vt sacro baptisinate ablutus Catholicam fidem fuerit ipsius baptisimatis susceptione professus. Quo fit, vt licet impius Auerroes, & alij huius farinae homines multos contra fidem errores tradiderint, hæretici tamen minimè censentur. **Deinde**, vt quis voluntarie, & pertinaciter, & contra fidem aliquid credat: non igitur satis est, si per ignorantiam, aut si absque pertinacia erret in fide, vnde illud magni Augustini dictum refertur ex epist. 162. **Errare quidem poteris; sed hæreticus non eris.** **Tertiò**, vt aliquam fidei sententiam credat, aliquam neget, hoc est, non ex toto omnem fidei sententiam neget, is enim Apostata est, non hæreticus: quoniam à fide penitus recedit.

Quar.



**Quarto**, ut contra fidem intellectu erret: nam si opere tantum, aut sermone tantum non mente erret, hæreticus non est.

**Tertio** **Quæritur**, An Cathecumenus sit hæreticus, si postquam semel fidem, & religionem Christianam suscepit animo, & voluntate, aliquid postea contra fidem scienter crediderit? Quiddam, inter quos est Alphonsus Castrensis lib. 1. de iusta hæres. punit. cap. 8. asserunt, eum esse hæreticum, quia satis esse putant, si sciens aliquid credat contra id, cui mente, & voluntate aliquando per fidem adhaesit. Verius tamen alij sentire mihi videntur. Simanca de Cath. inst. tit. 2. 31. Bannes 2. quest. 11. art. primo. eum coram Deo quidem hæreticum esse; non tamen in Ecclesia Dei pro tali habendum; quia nondum est Ecclesie iurisdictioni, & potestati subiectus: nondum fidem in Ecclesia professus; quia nondum sacro Baptismatis fonte ablatus in Ecclesiam cooptatus est: & ideo hæreticorum poenas non contrahit. Si **quæras** an is, qui per errorem putat se baptismum suscepisse, cum reuera non suscepit, sit hæreticus, si credat scienter aliquid contra fidem? **Respondeo**, cum Gabr. 4. distinct. 13. q. 2. art. primo, nota 3. Alphonsio Castren. lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 8. Simanca de Cathol. inst. tit. 31. num. 5. esse hæreticum, quia satis est, si se habeat, & gerat tanquam baptizatum.

**Quarto** **Quæritur**, An si Deus certo, & euidenter quippiam alicui homini reueler, is sit hæreticus contrarium credens eius rei, quæ est sibi diuinitus patefacta? **Respondeo** eum verè coram Deo hæreticum esse, quia scienter, & voluntarie credit contra id, quod certo, & euidenter nouit sibi esse à Deo reuelatum; at verò in Ecclesia hæreticus, non est, quia nihil credit contra ea, quæ tanquam credenda proponit Ecclesia: nec enim Ecclesia proponit credenda, quæ priuati alicui à Deo patefunt; sed quæ Prophetarum, & Apostolorum verbo, aut scripto, aut non scripto tradita susceperit: vnde non est hæreticorum poenis subiectus.

**Quinto** **quæritur**, An dubius in Fide sit hæreticus? De hac quæstione Antoni. part. tertia tit. 22. cap. 5. §. 10. Turrecrem. in sum. de Eccl. lib. 4. parte secunda cap. 15. Augustin. ancona. in sum. de potest. Eccl. quest. 28. art. 1. Canus lib. 12. de loc. Theolog. cap. 9. Alberti. de agnoscent. assertionibus quest. tertia nu. 6. Castros lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 7. Ratio quæstionis est, quoniam qui dubius est, neutri quæstionis parti assensum præstat, nec item ab alterutra parte dissentit: ergo qui dubitat, errore intellectus, & mentis non labitur. **Respondeo**, in ca. de diuis. de hæres. aperte dici: dubium in fide esse infidelitatem, vnde quæstio non est, an sit infidelis saltem iuris fictione, hoc est, qui in iure pro infideli; & hæretico habeatur, sed an sit verè, & propriè hæreticus, & hæreticorum poenis subiectus. **Meo iudicio** quoties quis voluntarie, & pertinaciter de Fide hæreat, eo ipso, est hæreticus: quoniam Fides, est assensus verus, & certus, licet obscurus; sed qui de Fide voluntarie, & pertinaciter ambigit, assensum non præstat, quæ tamè præstare debet: ergo est hæreticus, aut saltem tanquam talis habitus. **Ac inquires**: Hæresis est error intellectus.

**Respondeo**, esse errorem intellectus, vel absentiam assensus Fidei, quem tamen præstare oportet; vel dubitationem, quæ quis scienter, & voluntarie ambigit de rebus fidei, quas certò credere deberet. Nam fides ambiguum non habet, hoc est, is, qui credit, non dubitat scienter, & voluntarie. Quare si quem in foro exteriori legitime allegata, & probata probauerint in rebus fidei scienter, & voluntarie dubitasse; a bitror eum, ut verè, & propriè hæreticum puniendum.

**Sexto** **Quæritur**, An qui scienter res Fidei sola opinione credit tanquam res probabiles, sit hæreticus? Ratio item dubitandi est, quia qui per opinionem credunt res Fidei, nullum habent contra fidem errorem. **Respondeo**, esse hæreticum. Nam quemadmodum is, qui dubius in Fide est, censetur verè, & propriè hæreticus: ita, qui rebus fidei sola opinione adhaerescit, est reuera, & non solum iuris fictione hæreticus, quia Fides est assensus verus, & certus, at opinio est assensus incertus; ita ut qui opinatur, putet posse esse verum contrarium eius, quod ipse arbitratur. Ergo si quis voluntarie, & pertinaciter res Fidei sola opinione crediderit, eo ipso caret assensu certo, & firmo, quem habere deberet.

**Septimo** **Quæritur**, An si quis per ignorantiam crassam credat aliquid contra fidem, paratus alioqui suum errorem deponere, quado fuerit admonitus, sit hæreticus? & intelligitur quæstio hoc sensu; an sit reuera hæreticus, etiam in foro interiori conscientie? Dux sunt opiniones.

**Prima** vult eum esse hæreticum. Quod probat vnica ratione, quia furtum, homicidium, adulterium, perurium per ignorantiam crassam admissum, est peccatum eiusdem speciei, cuius est furtum, vel homicidium scienter peccatum: ergo error contra fidem per ignorantiam crassam susceptus, verè est hæresis. Sic Scotus in 4. distinct. 22. q. 2. art. 3. post conclus. 5. in 1. casu. **Secunda** opinio negat eum esse hæreticum; quia ad hæresim requiritur, ut paulo ante iam docui, pertinacia quæ est electio voluntatis cum certa scientia, & noticia eius, quod credit, & sentit Ecclesia: ergo si quis per ignorantiam crassam erret in Fide, dummodo tamen pertinax non sit, hoc est, dummodo paratus sit suum errorem corrigere, & dummodo implicite credat, quicquid credit Ecclesia, hæreticus non est. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes, Andreas, Abbas, Cardinalis in cap. Firmiter, de summa Trin. et fid. Cathol. Canus lib. 12. cap. 9. de loc. Theolog. Nauarrus in Manua. cap. 11. num. 22. Simanca de Cathol. inst. tit. 31. num. 10. Et quidam alij iuniores, videlicet Bannes 2. quest. 11. art. 1. Arag. 2. quest. 11. art. 1. Silu. hæres. 1. q. 2. versic. 5. vi quis. Et hæc opinio est verior, & ratio eius superius allata Scoti conuincit. Aliud verò est de furto, homicidio, adulterio, & perurio: hæc enim, & alia similia flagitia opere exteriori consummantur: Et proinde, ut sint eiusdem speciei peccata, cuius sunt ea, quæ scienter committuntur, sufficit, si sint aliquo modo voluntaria per seipsa, aut in suis causis, qualia sunt ea, quæ per ignorantiam crassam admittuntur. at hæresis peccatum requirit, ac postulat errorem intellectus voluntarie, & pertinaciter susceptum, & proinde ignorantia crassa rerum credendarum peccatum est, sed error con-



tra Fidem per talem ignorantiam contractus, nō est hæresis propriè. At in foro exteriori quoties probatum fuerit, quempiam per ignorantiam crassam in rebus fidei errasse, in eum iudices merito possunt animaduertere, ut in hæreticū, quia qui per huiusmodi ignorantiam supinam errat in fide, saltem iuris fictione hæreticus censetur.

Octauo Quæritur, An qui per ignorantiam affectatam incidit in errorem Fidei contrarium, sit hæreticus? Si sit alioqui paratus suum errorem deponere, cum scierit Ecclesiam contrarium credere, & docere? Dux quoque sunt sententiæ, prima affirmat eum esse verè, & simpliciter hæreticum, sicut est verè fur, homicida, adulter, vel periurus, qui per ignorantiam affectatā, furtum, homicidium, adulterium, vel periurium admisit. Secunda opinio negat eum hominem in foro interiori conscientie hæreticum esse, quæ verior esse mihi videtur: ita sentiunt iuniores quidam S. Thomæ discipuli, Bannes 2. 2. q. 11. art. 1. Aragon. 2. 2. q. 11. art. 1. Silu. hæres. 1. q. 2. versic. quinto, ut quis. Nam potest quis consulto res Fidei ignorare; & tamen implicite credere, quicquid credit Ecclesia: qui si in Fide erret per ignorantiam, qua voluntariè neglexit scientiam rerum, quas credere debebat, pertinax non est: cum credat & sentiat, quicquid credit, & sentiat Ecclesia, & sit alioqui paratus à suo errore, & assensu falso recedere. Alia verò ratio est de ceteris peccatis, quæ opere externo complentur, in quibus satis est voluntas in causis suis, quibus volūtaria sunt, & proinde peccata eiuidem speciei censentur, cuius sunt crimina scienter commissa: at verū hæresis cum pertinaciam requirat, intellectu consummat ex electione voluntatis cum certa scientia eius, quod credit, & profitetur Ecclesia. Dixi, in foro interiori conscientie: quoniam in iudicio, si certo confliterit, Titium per ignorantiam voluntariam aliquid contra fidem credere, iudices in eum tamquam in hæreticum animaduertent: nam in eo iudicio, ut hæreticus habetur, cum ignorantia probabilis, & iusta non sit.

Nono quæritur, An qui mortis metu cōpulsus affirmat aliquid Fidei contrarium, absq; vilo tamen interno mentis assensu, quo credat id, quod ore profert, sit hæreticus; veluti si quis verbo tantum non mente dicat, se hæreticum esse, Sacerdencum, Paganum, aut non Christianum; aut Christum non esse verum Deum; quæritur, an eo ipso sit hæreticus, aut infidelis? Hanc questionem tractat Simanc. de Cathol. instit. 17. num. 36. Albertinus de agnos. assertionibus q. 8. num. 12. Respondeo ex communi Doctorum sententia, eum hominem peccare quidem; sed nequaquam esse verè, & propriè hæreticum, aut infidelem; Peccat, quia ore, lingua, & sermone Christi fidem profiteri debet; cum tamen se esse Catholicum, aut fidelem neget. Agit igitur cōtra præceptum, & legem confitendi Fidem; nec idcirco tamen ille metu mortis excusatur; quia Fidem abnegare, quam confiteri debet, est per se malum; hæreticus tamen, aut infidelis non est, quia interius mente non credit, quod ore, & lingua affirmat exteriùs. Ita Simanc. Albert. locis supra citatis. Brunus lib. 1. de heret. cap. 4. Directo. In-

quisitor. p. 1. q. 9. ibidem Penna. commun. 24. Quemadmodū nec hæreticus est, qui per iocum, vel iram aliquid contra Fidem affirmat, id intellectu non credens: nec maledicus, siue blasphemus in Deū est hæreticus, qui maledicti, & blasphemiz verbum, Fidei contrarium, ore tenuit tantummodo temerè effudit. At in iudicio tamquam hæreticus merito punitur, qui fidē quamuis metu abnegat: quoniam hominibus verba patent, non mentis affectus. Deus de animo, & voluntate, homo de sermone, quem nouit, iudicat. Item, negari non potest, quin tamquam suspecti hæreticos haberi possint, si qui metu fidem abnegant, presertim si mortis periculum euadere facile possent, si viri docti, aut magis auctoritatis essent, si statim, ut constituti extra periculum sunt, non respiciunt, vt prædicti auctores iure optimo tradiderunt.

Decimo quæritur, An is, qui verbo tantum, non mente contra Fidem aliquid affirmat leui aliquo metu adactus, incidat in excommunicationem ipso iure, in hæreticos latam: ut si hæreticum se esse fateatur, vel Paganum, vel Iudæum, & non Christianum, aut si Christum dicat non esse verum Deum? Dux sunt opiniones, vna affirmat eum excommunicatione affici, & ceteris pœnis, quæ sunt hæreticis ipso iure irrogatæ. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 11. art. 1. ad 2. q. 94. art. 1. Quem quidam alij sequi videtur. Eius opinionis argumenta sunt. Primum quidem, quia si iure excommunicatio constituta esset in fures, homicidas, adulteros, verè eam excommunicationem incurrisset ille, qui metu mortis furtum, homicidium, adulterium, periurium admisisset: quia verè fur, homicida, adulter, vel periurus fuisset; sed iure ipso excommunicatio imposita est, qui aliquid contra Fidem sentiunt, vel dicunt; Ergo ad eam pœnam contrahendam satis est, si quis voluntariè aliquid Fidei contrarium dicat, vel credat. In Concilio enim Toletano primo, in assertionem Fidei, anathemate damnatur, qui dixerit, vel crediderit aliquid contra Fidem. Denique argumentantur, quia Ecclesia non punit actus mentis internos, sed externos scienter, & voluntariè factos; ergo cum excommunicatione afficit hæreticos; cōprehendit eos, qui aliquid contra Fidem scienter affirmant. Postremo, quia in huiusmodi homines Christi Fidem abnegantes, tamquam in hæreticos inquirat, & animaduertat Ecclesia, & absoluit ad meliorem mentem redeuntes.

Altero opinio negat excommunicationem in Hæreticos latam eiusmodi hominem contrahere. Sic Antonius, quem citant Angelus, Rosella, Syluester, Tabienfis, Armilla verbo, Apostata, verbo, hæreticus. Sic etiam Nauarr. in Manu cap. 11. nu. 27. quidam iuniores scilicet Bannes, Aragon. 2. 2. q. 11. art. 4. quæ mihi videtur verior opinio; Nam pœnæ iuris sunt restringendæ; ergo excommunicatio, qua afficiuntur hæretici, mitius, & benignius intelligi debet, ut contrahi tantummodo dicatur, cum quis voce simul, & animo hæreticus est. Alioqui enim, qui per iocum, vel iram aliquid aduersus Fidem ore tenuit solummodo dixisset, absq; dubio in excommunicationem incidisset.



Ad Caetera obiecta respondeo: ad primum, cum iure excommunicatione feriuntur, qui contra Fidem aliquid dixerint, vel crediderint, nomine eorum, qui dixerint, vel, crediderint, accipiendi sunt, qui dixerint mente interius id sentiendo, quod ore profiterentur exterius: sicut appellatione eorum, qui aliquid crediderint, accipiuntur ij, qui non solum interius mente hæresim concipiunt; sed nutu quoque, signo, vel verbo expriment. Itē, longe diversa ratio est de cæteris peccatis, quæ exterius complentur, ut furum, homicidium, adulterium, perjurium; nam si hæc crimina ius ipsum excommunicatione afficiat, eo ipso, quo voluntariè fuerint admitta, excommunicationi subiecta censentur. Hæreticus verò, quia intellectu, & mente interius consummat hæresim, excommunicationem non contrahit, nisi fuerit intellectu hæresis completa.

Secundum argumentum eodē modo diluit. Ad tertium respondeo, in huiusmodi criminosis merito Ecclesiam inquirere, & animaduertere; quia probabiliter iudicat, eos id intellectu credidisse, quod ore asseuerant, & proinde eos etiam merito absoluti à censuris, in quas lapsos esse probabiliter senserat. Obijcies, negari non posse, si Ecclesia excommunicationem irroget ijs, qui hoc, vel illud docuerint, scripserint, disputauerint, vel concionando dixerint, etsi tali excommunicatione affici, qui contra fecerint docendo, scribendo, disputando, concionando, quamuis id mente non credant. Respondeo, verè nos iniuriari nequire, quin possit Ecclesia ipso iure excommunicatione punire eos, qui certum quid fecerint, vel scripserint, vel docuerint, vel disputauerint, etiam absque vlllo in Fide intellectus errore: possunt enim ipsi externi actus contra Fidem, quando voluntarij sunt, & liberi, excommunicatione, & alijs pœnis affici. Solum distinetur, eam excommunicationem, quæ est iure in hæreticos constituta, contrahi ab ijs, qui solum exterius lingua, ore, & sermone, contra vllum mētis errorem contra Fidem aliquid dixerint.

Vndecimò queritur, An qui metu aliquo compulsus, opus exterius contra Fidem efficit, nihil interius errans, sit hæreticus? Vt si quis Idolis thura adoleat, sacrificium offerat, caput aperiat, genua flectat? Respondeo ex dictis, talem hominem non esse verè, & propriè hæreticum: id quod rationes superius allatæ confirmant. In iure tamen nonnumquam hæretici vocantur, non qui verè, & simpliciter hæretici sunt; sed qui aliqua opera hæreticorum propria præstant: qualis is est, qui demones inuocat, colit, veneratur: qui sacras sanctorum imagines lacerat, sacras statuas, & effigies perfringit, & proterit; qui Christi corpus impiè, & nefariè conculcat; qui crucem comminuit: qui hæreticum hominem honorat, & colit. Et hoc est, quod docent Simanc. de Cathol. institut. tit. 32. num. 7. Albertin. de agnoscent. assertionibus q. 8. num. 12. & q. 30. num. 3. & 11. & Direct. inquit. tit. 3. q. 41. & 49. huiusmodi homines ex ipso facto, siue opere pro hæreticis haberi, & tamquam hæreticos merito puniri.

Duo decimò queritur, An qui studio, & affectu hæretico, hoc est, ex interna hæresi, aliquod opus exterium, sua tamen natura indifferens;

præstat, sit hæreticus exterior, ita vt excommunicationem iuris in hæreticos latam contrahat? Verbi causa; aliquis coram venerabili Eucharistiæ Sacramento caput non nudat, & aperit, genu non flectit, quia interius intellectu, & mente credit in eo corpus Christi re verà non esse. Duæ sunt opiniones. Prima affirmat eum in excommunicationem incurrere, quia hæresim internam mente conceptam, facto declarat, & prodit. Secunda opinio vult, eum excommunicatione non affici: atque hæc est verior opinio, quia factum exterius est sua natura indifferens, ergo hæresim internam non exprimit. Quid, inquit, si quis dum secum mente reuoluit suam hæresim; ore deinde dicat, Ita est, vel, Peream, nisi ita sit, vel subridet, aut manibus plaudit, annuit capite, aut vultus, aut totius corporis signo, & nihil aliud eloquatur, an tamquam hæreticus exterior, in excommunicationem incidat? Quidam affirmant, eam ratione permoti, quia ore dicit, & exprimit hæresim, quæ mente tenet. Alij verò negant, quod putent eum solum esse hæreticum mente, non verbo. Ea enim verba: Ita est, vel, Peream, nisi ita sit: per se sunt indifferentia: neque enim hoc magis, quam illud significant; nec si ea quilibet audisset, potuisset verè fateri, eum hæresim protulisse: excommunicatione autem afficitur is, qui verbis exprimit hæresim, quam mente concipit, ac tenet: & hæc opinio videtur esse satis probabilis, quam habet Bannes 2. 2. q. 11. art. 4.

### Cap. X.

#### De pœnis Hæreticorum, & primum, de excommunicatione.

Primo queritur, Quæ sit prima pœna iure canonico Hæreticis irrogata? Respondeo esse excommunicationem, vt patet ex cap. in Christus, & cap. Sicut ait, & cap. Ad abolendam, & cap. Excommunicamus, de Hæret. Immo excommunicatio in Hæreticos lata, videtur esse antiquissima omnium excommunicationum, quæ iure canonico sunt constituta, vt insinuat in cap. Acatus, & ca. Audiuimus, & a. quæst. 1. Et ex quo in ecclesia concilia cogi, & celebrari cœperunt ad extirpandas hæreses, introductus est mos Hæreticos excommunicandi; quæ pœna à Sacramentis arcebantur, & communibus Ecclesiæ suffragijs & officijs priuabantur, repellabanturq; ab omni fidelium; & piorum hominum consortio. Olim tamen non erat hæc excommunicatio Romano Pontifici reseruata: attamen per eas pontificias Cōstitutiones, quæ quotannis in die Cœnæ Domini publico, & solenni more in Romana Curia promulgantur, cœpit Summo Pontifici reseruari.

Secundo queritur, An iure diuino hæreticus sit omnino in rebus diuinis euitandus à nobis? Quod est querere, an excommunicatio in hæreticos constituta, iuris diuini sit? Duæ sunt opiniones, prima, quorundam Canonici iuris interretum, & Theologorum asserentium esse euitandum, & hæreticum iure diuino, non humano solum excommunicatum esse, quod probant ex historia Sancti Hermingildi martyris, quam scripsit B. Gregor. libro 3. Dialo. c. 31. & referunt ea. capit. 24. quæst. 1. qui cum esset à patre Regē



Hispaniæ Ariano detrusus sit carcerem, ob fidem Catholicam, noluit percipere in Paschate Eucharistiam sibi ministratam ab Episcopo Ariano, ad eum missa à patre eius rei gratia: & propterea iussu patris est occisus, quem tamquam verum Christi martyrem colit, & veneratur Ecclesia. Secundo, quia etiam instante mortis tempore, nemini licet, ut habetur *cap. Arianos. l. qu. 1. c.* docet S. Thomas *par. 3. q. 82. art. 7. ad 2.* Sacramenta ab Hæretico ministrata suscipere, nisi Baptisma, quod est ad salutem simpliciter necessarium; & propterea quisque iure potest, dum imminet mortis periculum, à quolibet recipere, etiam Iudæo, vel Pagano. Sic sentit Latomus in *assertione determinatae contra Lutherum ab Academia Louanien.* Sic etiam Eckius in *Enchirid. loco. commu. contra Lutherum.*

Secunda opinio negat hæreticum iure diuino esse vitandum, sed tantum Canonico, quo solo iure est vinculo excommunicationis obstrictus: & hæc est plurium Theologorum consensu recepta sententia, & mihi sane longè probabilior, & verior apparet, ut latius ostendamus, cum de excommunicatione tractauero. Interim tamen animaduertendum est, Hæreticum in diuinis, & sacris iure diuino esse vitandum, in his, quæ sequuntur. *Primò*, si ex huiusmodi cum Hæreticis sermonis, & rerum communicatione, aliorum oriatur offensio. *Secundò*, si periculum nobis imminet nostri spiritualis exiti, & interitus, videlicet perfidiæ, & Christianæ religionis contemptus. *Tertiò*, si ex hoc, quod cum Hæretico sermonem, & consuetudinem habemus, suspicio nascitur, quod verbo, signo, vel factò Hæreticorum ritus, mores, aut dogmata profitemur. *Quartò*, si cum hæretico sit nobis commercium criminis, & impietatis, ob quæ ipse est excommunicationis sententia obstrictus. Extra hos casus iure tantum Canonico, non diuino debet in rebus sacris Hæreticus euitari. Ex quo efficitur, ut Romani Pontificis auctoritate cõcedi queat, ut ab Hæretico extra casus supra memoratos, suscipere Sacramenta possimus, ut *fusiis in eo, quem dixi, loco docebo.* Nam quamuis iurisdictione Ecclesiastica hæreticus careat, eo quod sit segregatus ab Ecclesia; potest tamen eam habere, si id Romanus Pontifex, siue Ecclesia permittat, aut concedat.

*Tertiò* queritur, An eiusmodi excommunicationem contrahat hæreticus ob solam hæresim internam mente conceptam? Hanc questionem tractauit Archidiaconus in *cap. Cum quis, de sentent. excomm. in 6.* Et in vtramque partem multa iura produxit, & tandem eam liberam disputationi reliquit. Dux sunt opiniones: *Prima* affirmat contrahere, sic *Glossa in Clem. l. Verbo, eo ipso incurrant, de heret.* quam *Glossam* sequuntur ibidem *I. mola, Paulus, Stephanus, Zabarella, sic etiam Feli. cap. vlt. de heret. Tiraq. in l. si vnaquam. c. de reuoc. do. natio. verbo, reuertatur, num. 240.* ita quoque *Adrianus, Rosel. Albertus Pighius, Medina, quos citat in, lib. 5. cap. 10. questione 1.* & ante eos omnes sentierant *Raynerius, Godfredus, Ioannes Ancona, uti eos citat Archidiaconus.* Quod probant, *Primò*, quia in iure sæpe excommunicatione afficiuntur, qui hoc, vel illud dixe-

rint, docuerint, crediderint: ergo nomine eorum, qui crediderint, intelliguntur, qui sola hæresi interna infecti sunt, alioqui enim quid opus erat dicere: qui dixerint, vel docuerint. In Concilio anathemate damnari solent, qui hoc, vel illud crediderint, aut putauerint. In Concilio item Constantiensi decernitur, ut Hæretici rogentur, utrum hoc, vel illud credant. Item, qui dixerint apud censores, & iudices Fidei, quos hæreticæ prauitatis Inquisitores appellamus, se hoc, vel illud contra Fidem credidisse, aut credere, meritò puniuntur. Deinde, quia in *Clementina l. de heret.* Videi iudices in excommunicationem incurrun, qui in aliquem inquisierint odio, timore, vel aliquo carnis, & sanguinis, aut commodi temporalis studio, & amore: ergo actus etiam interior excommunicatione mulctatur. *Secunda* opinio est fetè omnium Theologorum consensu approbata, ut rectè docet *Simanc. de Cathol. Instit. tit. 42. num. 3. c. 4.* neminem propter solâ hæresim internam excommunicatione, aut alijs turis pœnis affici. Hæc opinantium diuersitas oritur ex alia generali questione, An Ecclesia iurisdictionem, & potestatem habeat in actus mentis simpliciter internos, ita ut in eos possit inquirere qua de re late disputati in libro quinto de Legibus, cap. 10. quest. 1. Et quoniam in eo loco, ut verior sententiam sequentur sum eam, quæ negat talem potestatem penes Ecclesiam esse; propterea in præsentia secundam opinionem longè veriorē existimo; videlicet, hæresim internam tantum mente cõceptam, nulla esse excommunicatione, aut poena iuris affectam. Nam de *penit. dist. 1. cap. Cogitationis*, dicitur: *Cogitationis nemo penam meretur, aut patitur. cap. Si quis, c. cap. Tu nos, de simonia traditur; Ecclesiam de occultis non iudicare; sed tantum de manifestis, 2. quest. 5. cap. Consultuisti. Oculis, c. incognita dei soliveliuquantur, qui solus nouit corda hominum.* Idem colligitur ex *cap. Erubescant. dist. 32. ex cap. vit. 32. q. 5.* Et ratio id manifesto, & certo concludit: nam actus mentis interni solum Deo patent, nec Ecclesia potest de eis iudicium ferre, cum sint hominibus natura sua penitus ignoti.

*Quartò* queritur, An ob hæresim exterio-rem, etiam penitus occultam, excommunicatione ipso iure contrahatur? quod est querere, An si Titius solus res Fidei secum mente reuoluens, aliquid contra Fidem sponte sua pertinaciter sentiat, & lingua, & ore prodatur, & exprimat, nemine audiente, eo ipso in excommunicationem incurrat? *Respondeo* cum omnibus iuris Canonici doctoribus, & Theologis, ut testatur *Simanc. de Cathol. Instit. tit. 42. num. 7.* eum statim incurrare. At, inquit, hæresim esse penitus occultam, nec posse vquam in iudicio probari, Titium aliquid contra Fidem dixisse. *Respondeo*, hæresim exteriorē eo ipso, quod talis est, iurisdictioni, & potestati Ecclesiæ subijciis quoniam non est per se occulta, & qualis est hæresis mentis interna; sed ex accidenti tantum, nempe, quia desunt testes, quibus probari possit, Titium hæresim protulisse.

Quintò



**Quinto** queritur, An si quis hæresim suam internam, in qua olim fuerat, & à qua iam recessit, amico aperiat, non quidem studio, & voluntate hæresim afferendi; sed gratia petendi tantummodo consilium ab eo, sit hæreticus exterior, & eo ipso in excommunicationem prolaturus. Verbi Gratia, Titius dicit Caio amico, tribus ab hinc annis hoc, aut illud mente interiùs credidi, quàm is iam meum errorem deposuerim? Dux sunt opiniones: Prima affirmat, quoniam eo ipso, quod consilium petit, suam hæresim prodit internam. Secunda opinio negat, quæ quibusdam videtur probabilior. Victoria, vt testatur Siman. de Cathol. institut. tit. 42. num. 9. Sensit nullam excommunicationem incurrere: cui sententia, ait Siman. cas. vehementer assentior. Nam quando quis consilij petendi, & sibi cauendi causa, amico hæresim suam internam narrat, ac refert, non id facit verbis hæresim exprimentibus, quia solum declarat ei, se internò aliquid contra Fidem sensisse; & propterea consilio ipsius indigere, quid sit sibi factò opus. Hæreticus autem exterior est, qui hæresim, quam mente retinet, verbis declarat, & exprimit. Veluti si Titius dicat, Credo Christum non esse verum Deum. Ex quo efficitur, vt idem sit penitus dicendum de eo, qui hæresim suam internam ad saniorè mentem reuersus, sacerdoti, cui omnia sua peccata confitetur, exponit, cum sui eum peccati penitentem: tunc enim non dicit se contra Fidem sentire, sed fatetur se mente contra Fidem aliquid credidisse, & eius criminis magnum modò dolore perferre ita quoque docet Symancas loco citato. Quò fit, vt si, vel consilium ab alio petendo, vel sua peccata confitendo dicat se contra Fidem credidisse, & nunc etiam credere, eo ipso excommunicationem contrahat, quia est hæreticus exterior.

**Sextò** queritur, An si Titius dicat alicui per iocum, Ego olim mente credidi hoc, vel illud contra Fidem, nunc tamen amplius non credo, sit hæreticus exterior, excommunicatione iuris affectus? Simancas loco citato scribit Franciscum Victoriam etiam sensisse, Titium non esse hæreticum exteriorem, eo ipso, quòd ita loquitur, quia nullam hæresim præsentem, quam mente retineat, verbis exprimit: sed pristinam dumtaxat, in qua olim fuit, & à qua iam voluntariè recessit. Ipse verò Simancas ait, se in hac opinione, & sententia subsistere, & proinde in excommunicationem nequaquam incidere: Quidam censent, Titium esse hæreticum exteriorem, & in excommunicationem incurrere, quia eo ipso hæreticus interior coepit verbis, & sermone se prodere. Sed prima mihi sententia magis probatur, non enim quælibet verba sufficiunt ad hæresim exteriorem; sed ea, quæ hæresim internam præsentem declarant, & expriment, ita vt animus, & sermo consentiant, & id, quod mente concipitur, verbum exprimat, hoc enim idem de cæteris similibus asseueramus. Non enim peieras, aut maledicis, vel detrahis, cum dicis: Peieravi, maledixi, detraxi: ita planè, non ideo nunc credis aliquid, si dicas, Ita olim credidi, sed si ita dixeris, ita nunc credo, ita sentio.

**Septimò** queritur, An qui legendo, narrando,

disputando, vel alienos libros, aut tabellas transcribendo hæresim suam, quam mente conceptam antè retinebat; lingua, & ore pronunciat, non quidem voluntate confirmandi, declarandi, exprimendique errorem, quem mente conceptum habet; sed tantùm gratia legendi disputandi, transcribendi, & narrandi, eo ipso, tamquam hæreticus exterior excommunicatione afficiatur? Respondeo cum Cordubensi, non affici; quia hæresim suam ille non sermone prodit, non lingua, & ore declarat; sed solum aliorum libros legit, vel transcribit, vel disputando aliorum factum, vel errorem, vel sententiam recenset.

**Octauò** queritur, quisnam possit hæreticum absoluerè à peccato, & excommunicatione, quibus tenetur obstructus? Respondeo, abolutionem esse Romano Pontifici reservatam; & proinde neminem posse ab ea absolui, nisi auctoritate, & facultate Romani Pontificis, vt constat ex constitutione Pontificia, quæ quotannis Romæ publico ritu, & vsu legi solet in die canæ Dominicæ.

**Nonò** queritur, An Episcopus possit hæreticum sibi subiectum absoluerè? Respondeo, in Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 6. de Reformatione, concessum fuisse Episcopis, vt possint absoluerè ab hæresi occulta, per seipso, non autem per Vicarios suos: Appellatione autem hæresis occultæ, intelligitur ea, quæ non est notoria per euidentiã facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam hæretici confessionem in iudicio, & quæ item testibus probari nequit. Ita vt occultum eo loco sumatur, vt à notorio, & publico distinctum.

**Decimò** queritur, An hæc talis facultas in Concilio Episcopis concessa, abrogata sit per clausulam, quæ à Pio V. & Gregorio XIII. & cæteris Pontificibus solet nunc adijci in constitutione Pontificia, quæ Bullam Cœna Domini vocatur? in ea siquidem ad finem addi solet: *A casibus & censuris in ea contentis neminem absolui posse ab alio, præterquam à Romano Pontifice; vel ab eo, cui specialiter fuerit concessum: non obstante quacumque privilegio, & clausula Concilij generalis.* Hanc quæstionem tractat Nauarrus consil. 15. de sentent. excommuni. & breuiter attingit in Man. cap. 27. num. 260. & num. 275. Dux sunt opiniones, vna negat esse derogatum facultati in Concilio Tridentino concessæ; ita docet Bannes 2. 2. quæstione 11. articulo 4. quod probat primo: Solum enim generaliter dicitur: *Non obstante clausula Concilij generalis:* nec vlla sit expressa mentio Concilij Tridentini, sed ex Archidiacono, & Felino, quos huius opinionis auctores citant, non intelligitur, derogatum per clausulam generalem facultati, & privilegio alicuius certi Concilij generalis, nisi ipsius specialis facta sit mentio. Item, quia lex specialis non creditur per generalem sublata, siue præcedat, siue sequatur. *Glossa communi consensu recepta in Authen. Offeratur. C. de litis contest. & docet Decius in regula. 1. ff. de reg. iuris.* Deinde, cum eiusmodi facultas concessa sit à Concilio Tridentino, tam recenti memoria conuocato, & celebrato, & ob graues, & iustas causas sit data; non videtur verisimile, tam facilè, & tam citò à Romanis Pontificibus eam esse sublata.

Cordub. in suis quæstionib. lib. 4. q. 13. in opinio. 3.



Postremo, quia in constitutione Pontificia, quae dicitur *Bulla Coenae Domini*, solum videtur abrogari facultas concessa hominibus priuatis, etiam per clausulam Concilij Generalis, qua possunt absolui extra mortis articulum; non tamen consequens est, ut facultas in Concilio generali Episcopis concessa auferatur: haec enim facultas non conceditur priuatis hominibus poenitentibus, ut absolui queant, sed Episcopis, ut possint absoluerent. Et hoc tempore quidam scripserunt, ita docuisse viros grauissimos, & Theologiae, & vtriusque iuris peritos, Salmanticae de hac controuersa rogatos. Immo aiunt, ita absoluerent consueuissent Episcopos in multis prouincijs consilio grauium Theologorum, & iuris Canonici doctorum. Et auctor Candelabri testatur Salmanticae in Hispania viros & Theologiae, & iuris Canonici peritos, sensisse, non esse Episcopis abrogatam. in *Exposit. Bullae in Coena Domini, casu vlt. §. Ceterum* immo etiamnum ita censere plurimos Episcopos, tum in Theologia, tum in Canonico iure versatos.

Secunda vero opinio docet esse derogatum facultati datae à Concilio Tridentino. Ita Nauarrus loco citato, & Simancas de *Cathol. instit. tit. 3. num. 6.* inde comprobant, quia expressè in ipsa Bulla dicitur: *Non obstante clausula Concilij generalis.* & addit Nauarrus ita declarasse Gregorium XIII. viuz vocis oraculo. Mihi profectò magis haec secunda sententia probatur, quippe quae plurimum auctoritate, & validiori ratione confirmata, probabilior, tutior, & verior est. Primum, quia teste Nauarro *locis supra citatis* Pius V. & Gregorius XIII. de hac re consulti ita declarauerunt. Secundò, quia etiam ita declarauit Congregatio Cardinalium super locum praedictum Concilij Tridentini. Tertiò, quia audiui à viro religioso, & docto, & fide digno, idem respondisse Sanctis. D.N. Clementem VIII. Quarto, quia ita intelligit stylus, & v. l. Curia Romana: ita docet Nauarrus *locis supra productis*, quamuis obscure idem tradit Maiol. de *irregular. lib. 5. cap. 46.* & Penna in *Direct. inquis. p. 3. q. 98. comm. 141.*

Vndecimò quaeritur, An, si praedicta facultas data à Concilio Tridentino, vim suam, & locum haberet, Episcopi possent semel, aut iterum, aut etiam saepius alicui Sacerdoti facultatem sibi à Concilio Tridentino datam, committere iustis de causis, ut haereticum absoluerent, eò quod vel haereticus ad Episcopum absolueretur, eò quod vel haereticus ad Episcopum accedere commodè nequiret, vel quòd Episcopus haeretici hominis confessionem, negocijs impeditus, audire non posset. Respondet, eum, qui potestatem ordinariam, & iure suo absoluerent alicuius habet; posse absolutionem, & iurisdictionem alteri mandare, ut colligitur ex *cap. vltimo, de officio ordinarij.* eum verò, qui habet potestatem, & iurisdictionem vi priuilegij sibi commissam absoluerent aliquos, non posse eam alteri delegare, ut docet Glossa in *cap. vlt. §. Ceterum de officio deleg. Ex quo* efficitur, ut non possit Episcopus constituere Vicarium, vel Delegatum generalem ad absoluerent haereticos: ita ut Vicarius, vel Delegatus haberet potestatem absoluerent eos omnes, quos absoluerent iudicaret. Nihilominus tamen posset Episcopus absolutionem haeretici semel, aut

iterum, aut etiam saepius alteri mandare, qui haereticum absoluerent mandato ipsius Episcopi: hoc enim non esset alterum constituere, ut tamquam delegatus generalis haberet facultatem haereticos absoluerent; sed est alteri committere, ut in casu occurrenti haereticum iussu, & nomine Episcopi absoluerent: tunc enim Episcopus non absoluerent per illum tamquam per Vicarium, aut iudicem delegatum; sed tamquam per ministrum nomine, iussu domini aliquid facientem: ita Nauarrus *consil. 15. ad 3. quaestionem, de sentent. excom. Quo* etiam fit, ut qui legitime impediti ad Episcopum accedere nequirent, Confessarios adire possent, aut alios, ut nomine, vel mandato Episcopi per alios absoluerentur: si reuera Episcopi praedicta facultas concessa à Concilio Tridentino abrogata, ut dixi, non esset.

Duodecimò quaeritur, An quando generalis conceditur facultas absoluerent à quibuslibet casibus, qui in constitutione Pontificia, quae in die Coenae Domini publice legi solet, continentur, eo ipso intelligatur, dari facultas absoluerent etiam ab haeresi; ut cum datur eiusmodi generalis facultas vi alicuius iubilaei, vel Diplomatis Pontificij, vel alicuius alterius priuilegij? Dux sunt sententiae: Prima, affirmat facultatem dari absoluerent ab haeresi. Primum, quia qui totum dicit, nihil excludit, sed generalis facultas conceditur absoluerent à quibuslibet casibus, & criminibus in ea constitutione Pontificia contentis, ergo etiam ab haeresi. Deinde, quoniam interdum solet concedi generalis facultas cum exceptione tamen haeresis, nimirum, ut quis possit absoluerent, & absolui ab omnibus delictis in Bulla Coenae Domini expressis, praeterquam ab haeresi, ergo quando clausula generali non excipitur haeresis, eo ipso comprehendit videtur. Sic Soto *2. dist. 22. q. 2. art. 3. in primo casu.* immo cum Soto sensisse grauissimos Theologos, & Iuris peritos, non nulli hac aetate scripserunt. Auctor quidam in Candelabro, in *explana. Bullae in Coena Domini, cap. 10. §. Quod si forte. num. 141. et de Absolutione num. 13. et 16.*

Secunda opinio censet, in clausula generali minimè comprehendit haeresim. Ita Covarruvias in *cap. Alma mater, de sent. excom. in 6. par. 1. §. 11. num. 15.* Siman. de *Cathol. instit. tit. 3. num. 2.* & Nauarrus in *Magna, cap. 27. num. 275.* Eorum argumenta sunt. Primum, quia haeresis est grauisimum delictum, & verbis generalibus, nisi specialiter exprimitur, nequaquam comprehenditur, propter specialem prauitatis rationem, quam habet. Deinde, quia Pontifex non videtur generali clausula complecti id, quod specialem rationem habet. Et Antonin. *p. 3. tit. 2. 4. cap. 77. §. 1.* annotauit, commisionem generalem absoluerent ab excommunicatione, non comprehendit illam excommunicationem, cuius absolutionem verisimili coniectura ipse, qui committit, nequaquam specialiter commisit. Item, est regula iuris, quae docet, in generali concessione non venire ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus. in *generali, de reg. iuris in 6.*

Quod attinet ad hanc controuersam quidam sic aiunt, si secundum iura, & rationes vtriusque opinionis iudicandum esset, probabilior



prima sententia apparet, quoniam idem censeri solet de ceteris similibus. In odijs enim, & pœnis, appellatione clausulæ generalis, non intelliguntur, quæ specialem habent rationem: nam nomine Clericorum, Beneficiorum; Dignitatum non accipiuntur Episcopi, aut Patriarche; nec nomine Curialium in vrbe intelliguntur Cardinales: nec voce Clericorum, aut Beneficiorum comprehenduntur Regulares, quamuis ipsi quoque sint, & Clerici, & Beneficij: In privilegijs tamen, & fauoribus, nomine & clausula generali comprehenduntur, quæ specialem etiam rationem habent: Ergo si privilegio aliquo facultas datur absoluedi à quibuslibet casibus, seu criminibus in Bulla Cœnæ Domini comprehensis; videtur etiam concedi facultas absoluedi ab hæresi. In hac re simpliciter dicendum existimo, secundam sententiam esse veram, & magis esse stylo, & consuetudini Romanæ Curie adherendum, quam auctoritatibus, aut rationibus. Et proinde, quia stylos, & versus Curie Romanæ habet, ut sub huiusmodi clausula generali, hæresis non comprehendatur, id eo vbi, & more, secunda opinio præferri debet. De hoc stylo, & vsu sic ait Mandosius in praxi signaturæ gratiæ in verbo Absolutio ab hæresi absoluitur ab hæresi extra Curiam, committuntur inquisitionibus illarum partium: si in curia nemo se intronitit, nisi facta inquisitio, ac illius Præfetti. Vnde mihi est magnum argumentum ad secundam sententiam probandam, videlicet, si inquisitoribus est privilegium concessum, ut ipsi facultatem habeant absoluedi ab hæresi, ergo per clausulam generalem, non videtur Pontifex huiusmodi facultatem alijs concedere; nam derogaret magna ex parte privilegium inquisitorum, & Pontifex non solet per concessiones generales sic derogare. Aiunt quidam ita esse declaratum à Gregorio XII. anno salutis 1276. & à Pio V. anno 1572. si ita est, bene est. Sed huiusmodi viuz vocis oracula sepe nobis certò non constant, cum tamen certius constare soleat stylos, & mos curie, quem in hac parte sequendum existimo, ut paulo ante dixi.

Decimotertio queritur, An quando alicui datur expressè facultas absoluedi hæreticum vi Pontificiæ Constitutionis, aut privilegij, intelligatur eiusmodi facultas data solummodo in foro interiori conscientie, an verò etiam in exteriori foro? Respondeo, tantummodo intelligi concessam in foro interiori. Sic Sotus, Couarruuias, Nauarrus & Simancas locis citatis; & Ledesmas 4. p. 2. quæst. 26. art. 1. ad finem. Nam huiusmodi facultates concedi solent ob spiritualem tantummodo animorù salutem, ut quis foro pœnitentiæ possit ritè sua crimina confiteri, & alia Ecclesiæ Sacramenta percipere: non igitur conceduntur cum iactura, & detrimento Ecclesiasticæ disciplinæ: & proinde in foro exteriori vim non habent, ne Ecclesiasticæ censuræ enerventur, & Iudicium mandata, & sententiæ contemnantur. Hinc est, ut quamuis Titius hæreticus, vi eiusmodi facultatis expressim datæ, absoluetur in foro conscientie; in foro tamen Ecclesiæ exteriori adhuc possit accusari, denunciari, citari, capi, torqueri, & puniri. Glossa, in c. Gaudemus, de

divort. verbo, poterit. Paulus, in l. cum dicitur populos. c. de de summa Trinit. & fide Cathol. & Glossa in cap. 2. de schismat. Abbas, Cardinalis, & Glossa, in cap. de his, de accusationibus. Glossa in c. vlt. q. 25. item Glossa, & Imola, & alij cap. 2. de emptio. & vendit. Item, in foro conscientie absoluitur quis, ut particeps fieri possit suffragiorum communium Ecclesiæ; & ut occultè, vbi, & quando eius crimen & excommunicatio comperta non sunt, aut vbi nulla existit aliorum offensio, possit cum ceteris Catholicis, sermones, & commercia habere, ad Sacramenta & cætera diuina accedere; at eo ipso, quod non est in foro exteriori absolutus, debet publicè, aut vbi nota sunt eius excommunicatio & crimen, sese gerere tamquam excommunicatum, ab aliorum consortio, & à Sacramentis, & diuinis abstinerè: alioqui si presbyter sit, & publicè Missæ sacrificium faciat & offerat, irregularis habebitur, & tamquam irregularis iure, ac merito punietur.

Decimo quarto queritur, An hæreticus imminente mortis tempore, aut periculo, absolui queat à quouis Presbytero? Respondeo, posse: Ratio huius est, quia eo temporis momento plenam, tum à peccatis, tum à censuris absoluedi facultatem voluit Ecclesia Presbytero confessionem excipienti, concedere. Cæterum, qui tunc absoluitur, postea, si mortis periculum, & discrimen euaserit, debet præsentem se exhibere ei, cui hæresis absoluitio erat reseruata; alioqui nisi id fecerit, in excommunicationem relabatur: ut colligitur ex cap. eos, qui, de sententia excom. in 6. Et Presbyter eius confessionem excipiens, & eum absolvens, debet de hoc, ipsum admonere.

### Cap. XI.

#### Quos hæreticos, & quibus in rebus vitare debeamus.

Primo queritur, An omnes hæreticos, eo ipso, quòd sunt excommunicationis vinculo obstricti, vitare debeamus. Quia omnem excommunicatum deuitare oportebat: publicum quidem, tum occultè, tum publicè. Occultum verò, secretè, non tamen publicè. Postea verò edita est ab Ecclesia constitutio, qua decretum est, ut non omnes excommunicatos vitare debemus Constitutio huiusmodi incipit, Ad euitanda, & teste Nauarro in Manua, cap. 27. num. 34. & de pœnit. dist. 6. cap. laboret, num. 10. edita est à Martino V. Sed est adhuc controuersia, an omnes excommunicatos publicos vitare oporteat, occultos non item? Duplex opinio est: Prima sentit, debere nos deuitare omnes publicos, & notorios excommunicatos, quoniam ita est in Concilio Basiliensi Sess. 20. constitutum, vbi promulgata constitutio est, ut vitentur excommunicati, tum denunciati, tum notorii, & manifesti. Quam Constitutionem Concilium Lateranense sub Leone X Sess. 11. recepit. Ex qua sententia colligitur, ut vitare nos oporteat omnē hæreticū, tum expressim denunciati, tum publicū, & notoriū. Ita Nauarrus in Manua. c. 27. num. 34. & 35. Adrian. q. 3. de Clauibus in 4. Couar. in c. Alma mater p. 1. §. nu. 27. & sequ. Medi. de



*Pauis tract. 2. quest. 22. Abbas, & Felinus, vt refert Couarruias.*

Secunda opinio docet, tantummodo nobis esse vitandos excommunicatos nominatim denunciatos, & notorios Clericorum percussores, qui nulla tergiversatione celari possunt: quoniam in Concilio Constantiensi edita est constitutio, vt hæc duo solum excommunicatorum genera vitari deberent. Sic B. Antonin. p. 3. tit. 25. cap. 3. quem sequuti sunt Ange. excommunicatio. 8. num. 3. Rosel. excommunicatio 6. num. 4. 4. Silu. excommunicatio 5. q. 3. Caiet. in sum. absolutiois impedimenta, & cap. excommunicat. minor. Mai. 4. dist. 18. q. 3. Sotus 4. dist. 22. q. 1. art. 1. Ledesmius 4. q. 23. ar. 1. Victo. in sum. de Sacramento, tract. de excommunicat. Tabie. interdictum 3. quest. 9. Armil. excommunicatio. num. 50. Et hæc sententia est vsu recepta. Ex qua deducitur, posse tuta conscientia Catholicum sermones conferre, & ciuilia commercia inire cum hæreticis, qui sunt in Anglia, Gallia, Germania, & Polonia: quoniam licet publicè sint hæretici, & proinde notorie excommunicati, non sunt tamen expressim, & nominatim denunciati, neque notorii Clericorum percussores. Ex qua etiam opinione multa alia, de quibus solet passim queri, diluuntur; de quibus in præsentia sigillatim dicemus.

Secundo queritur, An Catholicis liceat cum Hæreticis simul orare, & precari Deum, & rem diuinam cum eis audire, & conciones sacræ, funus item hæretici comitando ad sepulturam deferre; & alijs huiusmodi diuinis, & sacris rebus interesse? Respondet Nauarrus, quando hæretici non sunt expressim, & nominatim denunciati, aut notorii Clericorum percussores, id licere facere: dummodo id fiat citra vllam Catholicorum offensionem, & communicationem rituum, & cæremoniarum hæreticarum. Nauar. consil. 15. de hæret. num. 2. & 4. & consil. 16. num. 8. eo. tit. Secus, quando sunt denunciati.

Tertio queritur, An liceat in templo, in quo sepulti sunt hæretici, rem diuinam, & sacram facere? quod est querere, An profana facta sit Ecclesia, in qua sepultus est hæreticus? Respondet Nauarrus, Minimè; si hæreticus non sit nominatim denunciatus, nec notorius Clericorum percussor: & proinde in eo templo posse tutè, ac citra omnem scrupulum, & suspicionem mali, diuina, & sacra fieri. Nauar. consil. 15. num. 4. de hæret. Nam Ecclesia violatur, & polluitur, cum in ea sepelitur paganus, Iudæus, infidelis, Excommunicatus, c. Ecclesiam 1. c. Ecclesiam 2. de consecr. dist. 1. c. Sacris de sepult. c. Consultasti, de consecrat. Ecclesia c. ad hæc, de prin. Clem. 1. de sepult. Sed hoc intelligitur de Excommunicato denunciato, quoniam quem, dum in viuus erat, vitare debebamus, mortuum quoque deuitare debemus: hoc autem locum habet in eo excommunicato, qui est publicè denunciatus, Nauar. consil. 15. num. 4. de hæret.

Quarto queritur, An vbi hæretici manifesti sunt, & notorii, sed expressim minimè denunciati, aut notorii Clericorum percussores, liceat Catholicis eorum templa adire, ingredi, & in eis preces fundere, rem diuinam, & conciones hæreticorum audire, ad eorum postea errores confutandos, & hæreticam impietatem euertendam? Respondeo ex sententia Nauar. consil. 15. num.

3. & 4. de hæret. id esse licitum facere sub triplici conditione; Prima, ne in Catholicorum animis vlla offensio generetur. Secunda, ne vlla sit communicatio ritus, cæremoniarum, ac impietatis hæreticæ. Tertia, ne vllum periculum imminet propriæ perfidie, subuersionisque, & Catholicæ religionis contemptus.

Quinto queritur, An Catholicis liceat matrimonia contrahere cum hæreticis, qui non sunt expressim denunciati, nec manifesti Clericorum percussores; vt in Germania, Gallia, & Polonia; vbi Catholicis cum hæreticis permitti viuere solent? Respondeo, certè apud omnes constare, esse canonicum, & Ecclesiastico decreto interdictum matrimonium Catholicis cum hæretico, c. eene & sequen. 28. q. 1. licet contractum valeat iuxta Glossam in c. non oportet. 28. quest. 1. & iuxta Theologos in 4. dist. 29. Sed caput questionis est; an ijs in locis, in quibus Respublica ciuilis est ex hæreticis, & Catholicis commixta, ita vt inter amicos ipsos, consanguineos, & affines alij sint Catholici, hæretici alij, liceat Catholicis cum hæreticis sibi, aut amicis vinculo, aut cognationis necessitudine aliàs non interdicta coniunctis inire matrimonia; quoniam se consuetudine receptum faceret? Questionem mouet ex vna parte, quòd huiusmodi coniugia Ecclesia prohibeat; ex altera verò, quòd matrimonium sit ciuile quidam hominum contractus, & quòd eiusmodi coniugia cum hæreticis contrahantur: non quidè propter hæresim; sed propter amicitie leges, & iura, aut cognationis, & generis necessitudinem conseruandam, aut ad communem Respublicæ statum, & conditionem tuendam: quia cætera humana, & ciuilia commercia sunt Catholicis cum hæreticis communia. Quidam sentiunt licere Catholicis id facere, non quidem iure, sed consuetudine recepta, quæ iuri Canonico derogat; modò tamen Catholicis, siue vir, siue femina, cum hæretico matrimonium contrahens, sua sponte omnino, & tutè sedem, & religionem Catholicam profiteri in omnibus permittatur; alioqui enim iure diuino interdictum est Catholicis cum hæretico coniugium. Vbi fuerit id consuetudine præsertim facta, & tolerata à Romano Pontifice receptum, tuta conscientia fieri potest nam consuetudo moribus vtentium recepta, vim habet contra leges & Canones: hoc colligi videtur, ex Nauar. consil. 1. de constitutionibus num. 59. & 60.

Sexto queritur, An ijs in locis vbi hæc matrimonia contrahuntur, ea pacta sint iure permittenda, vt suscepti liberi, si masculi fuerint, patris sectam hæreticam profiteantur, si feminae, Catholicam matris religionem teneant, & colant: Aut, vt primogenitus hæreticæ patris impietati adhærescat; secundogenitus matris fidem, & religionem Catholicam sequatur, & sic vicissim in cæteris hoc ordine seruato? Respondeo; cum Nauar. consil. 1. de consil. num. 63. pacta eiusmodi esse turpia, nefaria, & impia, tum contra ius Ecclesiasticum, tum contra ius diuinum. Nam Ecclesia constituit, vt ex alterutro parente Catholico suscepta proles Catholicæ Religionis sacris inicietur. cap. ex litteris de consecr. infidel. & cap. Iudæi 22. questione 1. Pugnans verò cum iure diuino



diuino eiusmodi pacta, quoniam paruulis vfu rationis carentibus, cura parentum ministrare, & præbere debet remedia ad salutem necessarii; ergo filij paruuli instituendi sunt in fide, & religione Catholica, vt in ea salui fieri queant.

**Septimò** queritur, An vbi Catholici sunt cum hæreticis commisti, liceat Catholicis à suis Parochis, & Episcopis, qui denunciati non sunt, hæreticis, Sacramenta recipere? **Respondet** quidam, fas esse, recipere, vt docet Nauar. *consil. 15. de heret. num. 2.* cum his conditionibus. Prima, ne vlla inde oriatur Catholicorum offensio. Secunda, vt in Sacramentis ministrandis, & recipendis legitima Ecclesie forma seruetur, & ministri verè sint Sacerdotes, verè Episcopi. Tertia, ne vlla sit communicatio ritus, ceremoniarum, & hæreticæ prauitatis. Quarta, ne vllum imminet Sacramenta percipienti periculum erroris in Fide. Denique dummodo Parochi, vel Episcopi nõ sint publicè, & nominatim denunciati tanquam excommunicati. Sed certè mihi hæc sententia valde dubia videtur: nam licet nemo vitare debeat hæreticos, quatenus excommunicatos, nisi nominatim denunciati fuerint, vel notorij Clerici percussores at ab eis Sacramenta recipere prohibemur; non solùm, quia sint excommunicati, sed quia hæretici, non quidem sola voluntate, & animo, sed verbo, vel sermone quoniam hæretici, teste S. Thoma 2. 2. *quest. 39. art. 3.* omni iurisdictione carent, & eodem teste *q. 3. quest. 82. artic. 7. 2.* conferre nequeunt Sacramenta.

**Octauò** queritur, An filij hæreticorum, vbi sunt cum Catholicis, commisti possint admitti ad scholas Catholicorum, quando in adulta sunt ætate, & parentum errore decepti? **Respondet** cum Nauar. *consil. 1. de consil. num. 64.* Posse tuta conscientia admitti, quoniam quamuis sint hæretici notorij, non sunt tamen expressim denunciati, aut notorij Clericorum percussores.

**Nonò** queritur, An Catholico in prædictis locis liceat de sacro Baptismatis fonte suscipere filium hæretici, ita vt Catholicus sit susceptor eius; & an contra liceat hæreticum admittere, vt filium Catholici è sacro fonte suscipiat? **Respondet**, Catholico quidem licere hæretici filium de sacro fonte suscipere; quoniam non debet hæreticos vitare, vt *hactenus sepe iam diximus.* Et hoc locum habet solùm, vbi Baptismus ritu, & more Catholico ministratur: non autem si ritu hæretico, aut scismatico detur, Nauar. *consil. 1. de consil. num. 66.* Sed questio est, an liceat Catholico hæreticum in sui filij susceptorè alsciscere? **Respondet** fas illi non esse, eum alsciscere: nam licet factum teneat, peccatum tamen est in hæretico ad hoc admittendo. Est enim Ecclesie lege, siue præcepto interdictum, ne hæreticus sit in Baptismo susceptor: nam qui è sacro fonte aliquem suscipit, iuxta Ecclesie Canones, decreta, & mores, debet susceptum prima Fidei, & religionis Christianæ elementa, & præcepta docere. Nauar. loco citato.

**Decimò** queritur, An Catholici tuta conscientia possint interesse Missarum sacrificijs, que faciunt, & offerunt Græci, Armeni, & Rutheni.

Vbi vnà cum Latinis permitti commorantur Græci & ceteri, qui ritu, & more Græco rem diuinam faciunt; & an Latini eiusmodi Missas & græcica sacra audientes, Ecclesie præceptum obseruent de Missis in diebus festis audiendis? **Respondet**, eos tütò posse interesse, & Ecclesie præcepto satisfacere; quoniam Græci, licet sint notorij schismatici; non sunt tamen vitandi, quia nec sunt expressim denunciati, nec manifesti Clericorum percussores; Ritus etiam Græcanici, in re diuina, & sacrificijs faciendis, sunt catholici, à sanctis patribus traditi, Basilio népe, Chrysostomo, & alijs; & proinde, qui græcica sacra audiunt, suo officio, & Ecclesie præcepto satisfaciunt. Nam Græci legitimo suo more, & instituto sacris operantur, Et Ecclesie præceptum non est, vt rem diuinam audiamus hoc, aut illo ritu; sed simpliciter, vt diebus Dominicis, & festis rem sacram audiamus.

**Vndecimò** queritur, An cuique ab hæresi reuertenti, liceat ab excommunicato Catholico presbytero in extremo vitæ discrimine Pœnitentiæ Sacramentum accipere? **Respondet** iuxta prædicta, si non sit expressè denunciatus, aut notorius Clerici percussor, fas esse percipere: quoniam huiusmodi presbyter excommunicatus vitari non debet, nec ei abrogare creditur Ecclesia iurisdictionem in tanto vitæ periculo pœnitentis. Sed dubia questio est, An liceat percipere, quando est nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor, quem vt vitemus, Ecclesia præcepit? Duæ sunt opiniones, quarum vnà affirmat, id licitum esse facere. Siluester

*verb. Confessor. 1. q. 20. & Confessor 3. q. 6. Maior. in 4. dist. 19. q. 1. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Antonius par. 3. tit. 14. cap. 19. in 15. conditione. Paludanus 4. dist. 25. q. 1. art. 3. ad 3. Canus de pen. 5. fol. 83. Tabienfis verb. Absolutio num. 32. Et Aimilla verb. Absolutio. 12. Glossa in cap. non est vobis, de sponsalib. Caietanus in sum. Absolutio pœnitentiæ, & Nauarrus in Manuali capitulo vigesimo sexto, numero vigesimo sexto, & capitulo 27. numero 272. Altera sententia negat id iure fieri posse, quam tuetur Ledesmius 4. questio. 21. art. 6. Pisana verb. Confessio 3. num. 9. & Couarruias in cap. Alma mater. par. 1. §. 6. num. 8. Ratio eorum est; quoniam caret omni iurisdictione excommunicatus nominatim denunciatus. Sed prima sententia est verior, vt ex sequenti questione patebit apertè.*

**Duodecimò** queritur, An iure possit Catholicus pœnitentiæ Sacramentum percipere ab hæretico presbytero, in extremo vitæ periculo? Duas hac de re opiniones inuenio, earum vnà negat, id iure facere posse, quæ videtur esse communis opinio Theologorum, & Canonici iuris interpretum: ita docet S. Thomas par. 3. q. 82. art. 7. ad 2. & in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. ad 7. & dist. 17. q. 3. art. 3. q. 2. ad 2. Idem senserunt Innocentius, Hostiensis, Ioannes, Andreas, Abbas, Ancharanus, Butrius, Felinus, Philippus contra Glossam in cap. Non est vobis, de sponsalibus. Ita quoque Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Siluester Confessor 1. q. 20. Nauarrus in Manuali cap. 26. num. 26. Pisana verb. Confessio 3. §. 9. Glossa in cap. ad hoc. verb. Malus, Couarruias in cap. Alma mater, par. 1. §. 6. num. 8. vbi citat Adrianum & Medinam.



Altera opinio id licitum esse facere affirmat, quam sequuntur Paludanus in 4. distinct. 25. quest. 1. art. 3. ad 3. Antonius par. 3. tit. 14. cap. 19. conditio. 14. cap. 16. Maior. in 4. dist. 19. q. 1. Angelus confessio 3. num. 2. Tabien. absolutio. 1. num. 32. Armilla verb. Absolutio, num. 12. Rosella confessio. 3. num. 35. Canus de penit. p. 5. fol. 83. cum Glossa in cap. Non est vobis, de sponsalibus verb. Baptismum. Ratio primæ opinionis est, quia hæreticus, siue sit denunciatus, siue secus, cum sit ab Ecclesia semotus, & abscissus omni iurisdictione caret Ecclesiastica: ad absolvendum autem necessaria penitus est Ecclesiastica iurisdictione. Item 1. q. 1. cap. Arrianos, dicitur, Arrianos, ceteraque eiusmodi pestes detestantur, laicos eorum sub imagine penitentis suscipimus: non videntur clerici eorum tum sacerdotum, aut cuiuspiam ministerij suscipiendi dignitate esse, quibus solum Baptismum ratum esse permittimus. Insuper, in extraneis, & nam sanctam, de maiori, & obed. habetur, extra Ecclesiam remissionem peccatorum non esse. Idem colligitur ex cap. Verbum, cap. Potest fieri, de penit. dist. 1. Sed Auctores secundæ sententiæ sic argumentantur. Inter omnes convenit, posse aliquem recipere Baptisma ab hæretico, eo quod sit Sacramentum ad regenerandum hominem simpliciter necessarium: sed penitentiam Sacramentum est etiam necessarium ad eos, qui post Baptismum sunt in lethalia peccata prolapsi, reparandos, & renouandos per gratiam, & charitatem; ergo potest aliquis ab hæretico eiusmodi Sacramentum suscipere. Sed obijcies, Baptisma esse simpliciter, & absolute necessarium, quia sine eo nemo potest in Christo renasci, & propterea illud potest quisque à quolibet suscipere etiam Iudæo, Paganus, & hæretico, ac verò ad recuperandam gratiæ vitam, per peccatum post Baptismum amissam, penitentiam Sacramentum non est simpliciter re ipsa necessarium; quia potest recuperari per veram cordis penitentiam; ergo satis est, ut quemque sui peccati poeniteat instante mortis periculo. Respondent auctores secundæ opinionis hoc esse argumentum contrariæ sententiæ, sed certè infirmum, ac debile: quia pari ratione, si Baptisma suscipi nequiret, valeret proculdubio ad salutem internam cordis penitentia cum voto Baptismi coniuncta: Sed quemadmodum, quia potest aliquis illud ab hæretico recipere, præcepto compellitur ad recipiendum; sic etiam sufficeret ad salutem ei, qui per veram cordis penitentiam respiceret cum voto consistendi sacerdoti peccata, quando commode posset. Et ideo debet, cum possit, hæretico sacerdoti confiteri peccata: neque enim est, cur dicas, cum non posse tunc hæretico confiteri. Obijcies deinde, iam iam morturo periculum imminere, ne ab hæretico, à quo peccat, & recipit penitentiam Sacramentum, seductus, & peruersus, in perfidiam, ac impietatem adducatur. Respondent iidem secundæ opinionis auctores, se de eo loqui, cui tale, ac tantum periculum non impendat. Et Concilium Tridentinum ab hac sententiâ non videtur procul abesse. Nam Sessio 14. cap. 7. decernit. In articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet penitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Tertio obijcies, hæreticum sacerdotem extra Ecclesiam, esse omni iurisdictione Ecclesiastica priuatam, quæ

tamen iurisdictione ad absolutionem peccatorum requiritur, & extra Ecclesiam peccatorum remissio non est. Respondent ceteri, hæreticum sacerdotem carere quidem iurisdictione, sed eam illi non denegat Ecclesia in articulo mortis, in quo est peccator poenitens constitutus, propter communem eorum, quos suorum peccatorum poenitet, salutem. Quarto obijcies, quod habetur in c. Arrianos. 1. q. 1. & quod legitur in, verbum, & c. Potest fieri, de penit. dist. 1. solum Baptismum hæreticos posse conferre. Respondent ceteri, extra mortis articulum non posse ab hæretico percipi reliqua Sacramenta, quia non sunt necessitatis, sed voluntatis Sacramentata: in mortis articulo etiam penitentiam Sacramentum est necessarium, præsertim si poenitens solum sit trinitus, non contritus. Certè valde probabilis est secundæ sententiæ ob argumenta iam posita: nisi aliqua declaratio obstat.

Duodecimò quaeritur, de secunda hæreticorum poenâ, quæ nam sit? Respondeo, eos irregularitatem contrahere. Videlicet, inhabiles effici ad quodlibet officium publicum, vel Beneficium Ecclesiasticum, ve aperit docetur c. 2. 6. Hæretici, de heret. in 6. Sed QVAERES, verum hanc poenam hæreticus iure ipso contrahat, etiam si sit occultus, cuius hæresis non sit mente solum concepta, sed etiam exterius prodita? Item, an hæreticus etiam ad meliorem mentem conuersus, & in foro conscientie ab excommunicatione, in quam ob hæresim incidat, absolutus, sit irregularis, ita ut ad ordines promovendi non possit absque legitime dispensationis beneficio? Resp. Angelus, Sylvestrum in verbo, irregularitas Navarrum in Manua, cap. 27. num. 205. generatim docere, omnem hæreticum iure ipso irregularitatem contrahere: & ad Catholicam fidem per poenitentiam reuersum, & ab excommunicatione, & peccatis absolutum, adhuc dispensatione indigere, ut ad ordines admitti legitime possit. At verò magis cum iure congruere alijs quibusdam videtur in hanc poenam tantummodo incurrrere hæreticum notorium, qui sit manifestus, vel per eundem facti, vel per iudicis sententiam, vel per propriam in iudicio confessionem: talis enim hæreticus etiam ad fidem Catholicam reuersus, & ab omni excommunicatione solutus, & liber, absque legitima dispensatione nequit ad ordines promoveri. sed reuera magis eum iure convenit id, quod dicit prima sententiâ, si colligitur ex cap. Sabarrum, l. q. 7. Item, hæreticus reconciliatus Ecclesiæ, abiurata hæresi, ad laicam tantum communionem admittitur, l. q. 6. cap. 1. Cæterum, dispensatione permissa ministrare, l. q. 1. cap. Si quis hæreticus, Nonnunquam dispensatione conceditur, ut possit facris Ordinibus initiari, & creari sacerdos, l. q. c. Conventibus.

Decimotertiò quaeritur, An qui publicè professus est se esse hæreticum, non Catholicum, aut qui palam Turcorum, vel Saracenorum sectæ, aut Iudæorum perfidiæ adhæsit, aut qui manifestè Idolis cultum, & venerationem deulit, irregularitatem contraxerit, etiam si exterius tantum absque villo mœtis errore hæc fuerit professio? Respondeo, eum irregularitatem contraxisse, non qui



non quidem eam, qua afficitur is, qui est hereticus, cum nullo in Fide mentis errore sit lapsus: sed eam, quæ contrahitur ob crimen notorium, dignam ea poena, quæ in iure Canonico dicitur Depositio, qua Clericus ab officio amoueretur: nam prædicta peccata sunt crimina digna eiusmodi Ecclesiastica poena, quamvis omni interno Fidei error careant: & propterea cum manifesta, & publica sunt, eo ipso, irregularitate suam in forem efficiunt. Quæres, an qui prædicta professus fuerit publicè, sed metu mortis; irregularitatem contraxerit? Quæstionem mouet ex vno capite, quoniam leges humane non tenent conscientias cum probabili mortis periculo; ex altero vero capite, quia Ecclesia istiusmodi peccatores ad ordines non promouet sine indulgentia, & dispensationis beneficio. Dices, nullo mortis metu tales homines a peccato contra confessionem Fidei excusari, quia iure diuino ad fidem confitendam compellimur. Contra hoc vrget obiectio, quia licet sit peccatum contra ius diuinum, irregularitas tamè iure tantùm Ecclesiastico contrahitur: at merus mortis ab Ecclesiastico iuris poenis excusat. In hac quæstione probabilis quibusdam videtur, eum hominem irregularitatem contraxisse: hanc enim poenam videtur Ecclesia constituisse generatim in eos omnes, qui diuino iure violato, à Fide, & Religione Catholica extoto, vel ex parte deficiunt. Contra verò alijs videtur, eum quidem à peccato non excusari, sed irregularitatem non contrahere, quia non creditur Ecclesia cum graui vitæ periculo hanc poenam irrogare. Sed de hac re suo loco dicam, cum de irregularitate tractabo.

## Cap. XII.

## De alijs hereticorum poenis.

Primo queritur de tertia hereticorum poena, quænam sit? Respondeo, hereticorum bona ipso iure esse fisco addicta. cap. cum secundum leges, de heret. in 6. De hac poena Direct. Inquisit. 3. q. 109. & sequen. & ibidem Schol. 151. Simanc. de Cathol. institut. tit. 9. Zanchi. de heret. cap. 25. Alphonfus Castri. lib. 2. de iusta heret. poenit. cap. 5. Brū. lib. 5. de heret. c. 6. Antonius Gomez tom. 3. var. resolut. cap. 14.

Secundo queritur, An hereticus sit ipso iure ante vllam in iudicio sui delicti condemnationem suorum bonorum dominio in foro conscientie priuatus? Dux sunt sententia, quarum vna negat, altera affirmat. Verùm de hac quæstione quinto libro differui cap. 7. q. 2. cum vnauerſim de lege humana breuiter disputarem, vbi tamquam probabilior mihi magis placuit opinio, quæ affirmat, eum esse priuatum.

Tercio queritur, An hereticus, ipso facto, debeat in conscientie foro bona sua fisco tradere ante sui criminis condemnationem? Dux sunt opiniones, è quibus vna affirmat, altera negat: de qua controuersia eo, quo diximus libro, disputauimus, cap. 7. q. 1. & 2. vbi magis eam sententiam probauimus, quæ negat eum ad id vllò iure, aut lege compelli.

Quarto queritur, An hereticus post sui cri-

minis condemnationem, statim in foro conscientie debeat sua bona fisco reddere, antequam ea fisco sibi vendicer, & capiat? Dux sunt opiniones, de quibus etiam dixi loco citato, quarum prima affirmat, eum ad id obligari, altera negat; quam etiam eo loco magis approbaui prima relicta.

Quinto queritur, An hereticus legitimè à iudice rogatus, & negans se id commississe, & propterea absolutus, tamquam innocens possit sua bona retinere, quæ fisco alicui cepisset, si in iudicio fuisset suum delictum confessus? Dux sunt opiniones, vna earum asserit, tuta eum posse conscientia retinere. Altera negat. De hac quoque controuersia, superius indicato sepè iam loco, tractaui, vbi & probabilius esse sensi, eum lege adstringi ad crimen confitendum, quoties fuerit de eo rogatus legitimè: alicui si ipsi talis animus non sit, peccatorum absolutio denegari debet: nec tamen interim eum vllò iure compellit, ad sua bona fisco reddenda. Quid si nunquam iterum de crimine rogetur, nec lege adstringitur ad id, quod antea dixit, reuocandum; nec ad bona relinquenda fisco; ei enim imputari amplius non debet, si crimen suum non prodar, si quidem nunquam amplius de eo legitimè à iudice rogetur.

Sexto queritur, An bona heretici ab eo die, quo in hæresim incurrit, ad fisco pertineant? Respondeo, lege Pontificia in cap. cum secundum leges, de heret. in 6. nihil aliud constitui, nisi bona hereticorum iure ipso esse confiscata, id est actionem, & ius fisco acquiri ad ipsorum bona. Verùm communi omnium consensu receptum est, vt exemplo eius, qui crimen læsæ maiestatis patrauit, à die commissi criminis bona heretici omnia publicentur, post declarationem delicti in iudicio factam. Sic interpretes omnes, Archidiaconus, Ioann. Andreas, Imola, Paulus in cap. cum secundum leges, de heret. in 6. & ciuilibus interpretes in l. vlt. c. l. quisquis. c. ad legem Iuliam maiestatis. Ex quo efficitur, vt donationes ab heretico quamuis occulto factæ, à die commissi delicti, post sententiam iudicis, & condemnationem criminis rescindantur: immo dotes etiam filijs datæ, à fisco vendicantur; quamuis ad onera matrimonij subleuanda dentur. Simanc. de Cathol. institut. tit. 2. num. 23. Dotes pariter à parentibus sanctimonialibus datæ, vt vitam monasticam proficentur, fisco similiter deferuntur. Simanc. de Cathol. institut. tit. 9. num. 24. Emancipationes filiorum nullius sunt momenti, l. quisquis. §. emancipationes. c. ad legem Iuliam maiestatis, c. vlt. quicumque. §. vlt. de heret. in 6. quia filij à die, qua pater in hæresim incidit, sui iuris redduntur; sicut alij liberantur, qui iure dominij, & obsequij erant heretico obstricti, cap. vlt. de heret. Omnes denique quarumlibet rerum alienationes à die criminis admissi factæ, post sententiam iudicis, & condemnationem delicti rescinduntur: vt colligitur ex eadem l. quisquis, c. l. vlt. c. ad legem Iuliam maiestatis.

Septimo queritur, An serui, siue mancipia hereticorum ob hæresim dominorum, vna cum alijs bonis publicentur, ita vt iure, fisco deferantur? Hanc quæstionem tractat in Direct. Inquisit. par. 3. q. 119. Scholiasies comment. 163. & Alphonfus Castrius lib. 2. de iusta heret. poenit. cap. 7. Respondeo,



Si serui Catholici fuerint, vel eorum dominis in hæresim prolapsi, ad fidem Catholicam sese contulerint dominorum impietatem detestati; & fortassis etiam si Cathecumeni sint, aut infideles quidem, sed qui dominorum hæresim studio, & amore Catholicæ religionis ad Inquisitores detulerint, iure communi civili libertatem acquirere, & sui iuris fieri, ex l. Manichæos. §. vlt. c. de hæret. vbi dicitur: Seruos quoque extra noxam esse volumus. id est, vt interpretatur Accursius, liberos fieri volumus, si dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transferint. Et in Direct. Inquisit. Scholasticus comment. supra citato, ait, esse ita constitutum per instructionem quandam Hispalensem, anno Domini 1434. cap. 24. vbi sic habetur: Domini, Rex, & Regina, humanitate, & clementia viuentes, voluerunt seruos quorumcumque hereticorum libertate donari, si in eorum potestate existentes, Christiani essent. Sic ibi. Hoc idem docet Simancas de Cathol. institut. tit. 61. num. 8. Quod igitur serui hæreticorum Christiani libertate donentur, cum domini labantur in hæresim, benigna est Principum humanitas; alioqui enim ad fiscum, vna cum alijs bonis deuenissent; seruus enim quædam est possessio domini. Ex quo fit, vt cæteri serui à fide, & religione Catholica alieni, sui iuris minime efficiantur; & proinde vna cum alijs bonis publicari debeant, & ad fiscum pertineant. Vnde in l. vlt. c. Ad legem Iuliam maiestatis, statuitur, manumissiones à die commissi criminis, nullius esse momenti: quoniam si serui Christiani fuerint, sui iuris effecti sunt, libertate acquisita: si Christiani non fuerint, à fisco vna cum alijs bonis post sententiam iudicis, & condemnationem criminis vindicantur. Alphonsus Castr. lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 7. generatim docet seruos statim atque eorum domini sunt in hæresim prolapsi, sui iuris fieri, & libertatem acquirere, eò quòd cap. vlt. de hæret. serui, ob hæresim dominorum, eximuntur ab omni seruitutis vinculo, quo dominis tenebantur: sed ex eo capite solum colligitur seruos non amplius suis dominis obligari, non autem sui iuris fieri. immo generatim docent Ioan. Andr. Geminianus, Francus, & alij in c. Quicumque §. vlt. in c. Et Anania, & Marianus Socinus in cap. vlt. de hæret. Seruos hæreticorum, sicut & alia bona ad fiscum transire; serui enim numerantur, & habentur in patrimonio & bonis dominorum, l. rem in bonis ff. de acquiren. rerum dominio. c. l. vlt. §. vlt. c. de verb. significat.

Octauo quaeritur, An hæreticus à die, quo in crimen incurrit, sit capax bonorum sibi ex aliorum donatione, vel testamento, legato, aut fidei commissio obuentium? Respondeo, nihil eorum posse ab eo die sibi acquirere, l. Diuina c. de hæret. Quæres, an hæreditas post hæresim obueniens hæretico, pertineat ad fiscum, an verò ad hæredes propinquiores deuoluatur? Respondeo, esse distinguendum: aut hæreditas, siue quæcunque alia donatio sit, per ignorantiam hæretico relicta est, cum is, qui reliquit, hæresim penitus nescierit; aut scierit. Si per ignorantiam, ad fiscum non pertinet, sed hæredi legitimo tantquam debita defertur: Si scierit, fiscus ob poenam eius, qui donauit, aut reliquit, sibi vindicat. Idem iuris est de legatis, & fidei commissis. Si

man. de Cathol. institut. tit. 46. num. 66. Ex ista. Anania. Imol. Anania, Felino, Bruno, quos ille refert, & sequitur.

Nono quaeritur, An ius patronatus Ecclesiasticum, quod habebat hæreticus, publicatis eius bonis ob hæresim, ad fiscum transeat? Respondeo, cum ius patronatus transeat ad hæresim extraneos. De hoc Innoc. & alij in Rubr. de iure patrona. De cius. consil. 149. Respondeo, esse vlt. introductum, ne ius patronatus transferatur ad fiscum, sed vt Ecclesia sui iuris libertatem acquirat: sicut liberantur cæteri, qui aliquo iuris vinculo hæretici erant obstricti. Simanc. de Cathol. institut. tit. 9. num. 4. Lamberti lib. 3. de iure patrona. g. 8. num. 3.

Decimo quaeritur, An feudum, quod erat penes hæreticum, vna cum cæteris bonis, ob hæresim publicetur, ita vt ad fiscum transeat? Respondeo, non publicari, sed ad Catholicum dominum redire, vt colligitur ex cap. Excommunicationis, Monentur, de hæretici. Simancas, de Cathol. institut. tit. 9. num. 120.

Vndecimo quaeritur, An Emphyteusis, vna cum cæteris bonis, ob emphyteote hæresim à fisco vendicetur? Respondeo in hunc modum: Si res emphyteotica sit hominis priuati, in bonum, & rem fisci cedit cum cæteris bonis emphyteote: sed integrum ius ei, qui directum habet dominium conseruatur. Simancas loco citato num. 97. At questio est, quando emphyteusis est Ecclesiastica, an ob hæresim emphyteote ad fiscum quoque transferatur? Quæ controuersia pendet ex alia, videlicet, Num res Ecclesiæ in emphyteusim data, possit ad hæredes extraneos transire: nam si non possit, necque ad fiscum perueniet, qui extraneus successor est. Multorum est opinio quos referunt Couarruias lib. 2. varia. resol. cap. 17. num. 5. & Simancas loco citato num. 99. & num. 100. ad hæredes extraneos transire non posse. Contra alij censent, posse peruenire. Sed verior est opinio dicentium, rem Ecclesiæ in perpetuum emphyteusim datam, seruat omnibus necessarijs iuris solennibus formulis, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, posse transire ad extraneos, si minus, non posse. Hanc opinionem dicit esse communem Siman. loco citato num. 102. Quo fit vt possit quoque ad fiscum deuenire: sed opinio datur Ecclesiæ, vt intra biennium deliberet, an velit habere fiscum in emphyteotam, an verò rem suam recuperare malit, quam in emphyteusim dederat. Siman. loco citato, num. 105. Sed debet quaestio est, an Ecclesia recuperet rem suam emphyteoticam vna cum emolumentis in ea factis ab hæretico, ita vt nihil soluere debeat? Responderet Simanc. loco citato num. 107. Si emphyteota rem Ecclesiæ meliorem fecit atque iam incidet in hæresim, Ecclesia recuperat omnia emolumenta: non tamen si fecit meliorem, postquam est in hæresim lapsus.

Duodecimo quaeritur, An res censui obligata, & subiecta, vna cum cæteris bonis, ob hæresim publicetur, & fisco deferatur? Respondeo, eam à fisco vendicari, sed integrum ius, quod in ea dominus census habet, ipsi conseruatur: nam res, sicut ad hæredes cum suis oneribus transferit, sic etiam ad fiscum. Simancas loco citato num. 98.



Decimotertio queritur, An bona primigeniorum, quæ vulgo alicubi Maioratus vocantur, ob hæresim primogeniti ea possidentis ad fiscum pertineant; Hanc questionem Simancas tractat. loco citato, num. 252. Respondet Alphonsus Castri. lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 7. generatim eiusmodi bona non publicari; sed ad successorem transire. Sed melius meo iudicio Simancas de Cathol. iust. tit. 9. num. 253. distinguit Nam huiusmodi bona possunt tripliciter constitui: Primò, concessa & privilegio Principis, vt cum Rex concedit alicui, vt eius bona perpetuò ad primogenitos successores pertineant, ceteris exclusis. Secundò, legis beneficio, & auctoritate; sicut cum lege Principis decretum est, vt possit quisque de suis bonis statuere, vt perpetuò ad primogenitos successores perveniant. Tertio, iure successionis, vt cum in bonis perpetuò primogeniti succedunt ab antiquo tempore, cuius initij memoria non extat.

His expositis, sunt duæ opiniones; Prima ita distinguit: Si primigenia concessa, & privilegio Principis constituta sint; bona primigeniorum ob hæresim, vel crimen læsæ maiestatis publicentur, & ad fiscum spectant, etiam si Regis privilegium clausulam contineat, ne ob talia crimina à fisco vendicentur; & idem iuris est de bonis primigeniorum, quæ vel legis auctoritate, & decreto, vel iure successionis alicui deferuntur, ita vt etiam si fuerit de eiusmodi bonis clausula, ne ob hæresim, vel crimen maiestatis offensæ publicari queant, sed eo ipso, ad propinquorem cognatum devolvantur, nihilominus tamen à fisco vendicentur. Secunda opinio docet bona primigeniorum nequaquam publicari ob hæresim, vel crimen læsæ maiestatis, quando sunt concessa vel legis auctoritate, vel iure successionis ab antiquo tempore, vel beneficio Principis, cū expressa clausula ne publicari queant. Quod probant primò, quia quisque potest de suis bonis constituere, vt ita propinquiori cognato deferantur ob flagitium, & indignitatem possidentis. Deindè, quia interdum primigeniorum bona ad aliquem transeunt per contractum, nempe ob matrimonium initum. Sed siue eiusmodi rationes, siue oppositæ plus ponderis, & virium habeant, hoc certum est, magis esse vfu receptum, vt huiusmodi bona primigeniorum ob hæresim vel crimen læsæ maiestatis à fisco vendicentur.

Decimoquarto queritur, cui fisco bona hæreticorum deferantur? Respondeo, bona hæretici secularis fisco Principum secularium deferri, extra provincias & loca Romanæ Ecclesiæ, civili administrationi, & iurisdictioni subiecta: nam in locis Romanæ Ecclesiæ fisco Romani Pontificis deferantur: bona verò Clerici hæretici Ecclesijs applicari, à quibus stipendia clericis recipit. Excommunicatus, §. Damnaui, de hæret. Animadvertendum est, bona Ecclesiæ qualia sunt prædia, domus, possessiones, & similia non publicari, cum bonis Clerici hæretici; sed Ecclesiæ, cuius sunt bona, restitui. Clem. 1. de hæret. & Directo. Inquisit. par. 3. q. 112. & ibi Scholiasies comment. 161. vbi Doctores citat. Quæres, an fisco deferantur fructus, quos Clericus hæreticus ex beneficio Ec-

clesiastico acquisit? nam videntur esse bona illius, cuius est beneficium? Ancharanus, Felin. & alij celsent, Ecclesiæ deberi huiusmodi fructus. Citat eos auctores Simancas loco citato; ipse tamen respondet, non deberi illi Ecclesiæ, sed vñ cum ceteris bonis Clerici à fisco præsertim in Hispania, vendicari. Quia licet in opinione Doctorum situm sit, An Beneficiarij huiusmodi fructuum dominium, aut quasi dominium acquirant, an verò solum vsum, & administrationem habeant; est tamen receptum cõsuetudine in Hispania, vt Clerici simplices de huiusmodi fructibus testari queant, tamquam de suis bonis; ergo cum ceteris bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus connumerantur. In hac re id seruandum est, quod fuerit vfu receptum; vt ait in Directo. Inquisit. Scholiasies comment. 161. Sed quid dicendum, vbi non est vfu receptum, vt Clerici ex fructibus Beneficiorum testentur? & quid item de fructibus, quos perceperat Episcopus, vel alius Dignitatem habens, qui nusquam testatur de illis? Respondet Scholiasies in Directo. prædicto in loco eos fructus, si pertinent ad portionem debitam Clerico, siue Episcopo, confiscari posse. Quod mihi quidem non placet, quoniam puto eos omnes fructus tamquam spolia Clericorum, ad Cæmeram Apostolicam pertinere, vt dicam alibi. Sciendum quoque est, Religiosi hæretici, qui S. Francisci institutum fuerit professus, supellectilem, libros dico, vestes, & cætera huiusmodi, quæ in bonis habet, non Monasterio deferri; sed publicari debere: quia ad Monasterium nequaquam horum bonorum dominium pertinet. Simancas loco citato, num. 88.

Decimoquinto queritur, An quando pater familias sit hæreticus, & per sententiã condemnatur, publicetur vsusfructus, quem habet in bonis aduentitijs filij? Respondeo cum Simanca eo, quem supra citavi loco, num. 18. non publicari, sed ad filium vñ cum proprietate pertinere, quia filius factus est sui iuris, ex cap. 2. §. vlt. de hæret. in 6. cum primùm pater hæresim admisit: quare cum ex eo tempore fuerit patria potestate solutus, ad eum pertinet vsusfructus vñ cum proprietate. Quid si filius familias hæreseos damnatur, num publicari debeat vsusfructus, quem pater habet in bonis aduentitijs eius? Simancas loco citato num. 18. docet publicari: & ideo vna cum proprietate ad fiscum transire. Alijs probabilius videtur, nõ publicari, quia filij crimen non potest nocere iuri patris antè adquisito, de hoc dixi libro 5. cap. 7. q. 8.

Decimosexto queritur, An hæredes hæreticorum possint aliquando iure præscriptionis contra fiscum, vel Ecclesiam etiã Romanã, sibi bona retinere, quæ possident? Respondeo posse, si quadraginta annorum spatio illa possideant, tunc enim actio, & ius competens fisco excluditur legitima præscriptione, cap. 2. de Præscript. in 6. Idem iuris est de ijs, qui bona fide res hæreticorum emerunt, & per quadraginta annos possederunt, vt ex eo capite colligitur. Bona fides censetur, si hæredes, vel emprores nescierint eum hæreticum fuisse. Sed dubiæ questionis est, an hæreticus ante criminis declarationem, tuta conscientia possit aliqua donare? De hac quæst. lib. 5. tract. c. 7. q. 7.

Decimoseptimo queritur, An regnum regis



hæretici confiscari queat? quæstionem mouet, quia Rex superiorem in ciuilibus rebus, & causis non habet. Alphons. Castr. lib. 2. d. *in ista heret. punit. cap. 7.* docet, eo ipso regnum illud ad filium Regis Catholicum peruenire, perinde ac si Rex vita functus esset. Quod si filius, & ceteri propinquiore consanguinei, hæretici quoque essent, tunc penes Regni proceres, si Catholici essent, fuisset ius, & potestas eligendi, & creandi Regem Catholicum. Si autem & illi hæretici etiam essent, ius eligendi ad Romanum Pontificem pertineret. Hanc sententiam approbat Simancas de *Cathol. institut. tit. 46. nu. 75.* & addit, posse tunc Regnum illud à Catholicis occupari: idque probat ex *cap. Fergentis, de heret.* vt alio in loco dicam. Mihi certum videtur, posse tunc Romanum Pontificem, eum Regem per sententiam regno priuare, ne populos sibi subiectos corrumpat, & religionem Catholicam labefactet, vt suo loco commodius dicam.

### Cap. XIII.

*De quarta hereticorum poena, qua suis dignitatibus, honoribus, publicis officijs, & Beneficijs priuati sunt, vel priuari merentur.*

**N**otandum est, c. *vt. de heret.* eos omnes, qui erant hæretico aliqua obligatione obstricti, iurifurandi, siue fidelitatis, siue obsequij, siue alterius pactionis, & promissionis, liberari. Ibi enim sic decernitur: *Absolutos se nouerunt à debito fidelitatis domini, & totius obsequij, quicumque lapsus manifeste in heresim, aliquo pacto quacunque firmitate v. allaro tenebatur obstricti.* Sic ibi. Vnde filij sui iuris efficiuntur; & proinde pater hæreticus non potest pro filio impubere testari, nec eum hæredem substituere: Catholica vxor hæretico viro debitum reddere non cogitur, *cap. vt. de heret. cap. Compelluntur, cap. de illa, de diuort.*

Sed illud dubitationem habet, An vxor, quæ recessit à marito ob heresim eius, cogatur ad illum redire, si respuerit, heresi per poenitentiam omnino deposita. Glossa in *cap. de illa, de diuort.* respondet generatim, esse cogendam ad reddendum debitum, siue recesserit iudicio, & sententia Ecclesie, siue priuata sua auctoritate. Abbas tamen, & alij docent eam reuerti debere; si priuata auctoritate discessit ab eo, vt dicitur in *c. de illa*; non tamen si iudicio Ecclesie separata est, & in Religionem ingredi velit, *cap. vt. de conuers. conu. ing.* Famuli etiam & liberi non amplius vlllo iure compelluntur ad famulatum suo domino præstandum. Præterea, custodes arcium, & vasalli eximuntur à Sacramento fidelitatis. Si quis aliqui debet hæretico ratione depositi, pignoris, mutui, commodati, vel alterius contractus ad diem præscriptum soluendum, non potest ei soluere, sed fisco; vel differre debet solutionem: quia interdictum nobis est cum hæretico sermones, & commercia conferre. Quare si quis poena aliqua constituta obligatur ad aliquid hæretico certa die soluendum, licet præstituto tempore non soluat, poenam constitutam non contrahit, vt ibi Glos. testatur. Simanc. de *Cathol. institut. tit. 46. num. 73.* Alphonsus Castr. lib. 2. d. *in ista heret. punit. c. 7.*

Primò quæritur, An huiusmodi poenis hæreticus afficiatur; etiam si sit occultus? Dux sunt opinioniones. Prima docet eas poenas solummodo contrahere hæreticum notorium, qui est manifestus, vel per euidentiam facti, vel per sententiam iudicis, vel per propriam confessionem in iudicio. Quod probat, quoniam in *c. citato* dicitur: *Lapsus manifeste in heresim.* Secunda opinio testatur hæreticum etiam occultum, dummodo probari possit eum in heresim incidisse, dictis poenis affici. Sic Philippus in *eo capite*, Ioan. Andr. ait intelligi de hæretico, cuius heresis, & probari in iudicio potest, & coepit probari delata ad iudicium. Alphonsus Castrus, Abbatem sequutus intelligit, de quolibet hæretico etiam occulto, ita vt sicut hæreticus occultus, eo ipso, suorum bonorum dominium amittit, licet possessionem retineat, sic à die commissi criminis incurrit in prædictas poenas; quamuis in iudicio crimen probari debeat, vt hæreticus ab omni exceptione, & allegatione repelli in iudicio possit. Alij aiunt, nunc post Concilium Constantiense prædictas poenas intelligi tantum de hæretico expressim denunciato, aut notorio Clerici percussore: hunc enim solummodo deuitari oportet, vt saepe iam dixi. Sed dicendum existimo omnes obligationes, quibus aliqui sunt hæretico obstricti, statim cessare, ita vt hæreticus ius non habeat, sicut nec habet suorum bonorum dominium: at possessionem retinet, donec crimen iudicis sententia declaratur.

Secundò quæritur, An si Caius aliquid Titio debeat, & Titius in heresim incurrat, obligetur ad id soluendum Titio; an verò potius reddere id fisco debeat? Abbas, quem sequitur Alphonsus Castrus, censet eum debere id fisco reddere quoniam hæreticus ob heresim, suorum bonorum dominium amisit: & quia *vt. l. c. Ad legem Iuliam maiestatis*, dicitur: *Neque ei debitorem posse iure soluere.* Sed hoc ideo sentit Abbas, quoniam putat hæreticum in foro conscientie iure ipso compelli ad sua bona reddenda fisco. Nos verò, quia supra docuimus, ad id minime obligari, nisi post poenitentiam iudicis, & condemnationem criminis, ideo in præsentia dicimus, debitorem non posse hæretico soluere, quando post criminis condemnationem fisco hæretici bona vendicari solent; tunc enim fisco capienti bona hæretici, debitor nec potest ea bona denegare, nec celare, sed ante sententiam iudicis, debitorem oportet hæretico soluere.

Tertiò quæritur, Quæ sit quinta hereticorum poena? Respondeo, eos omnibus dignitatibus esse ipso iure priuatos, honoribus omnibus, item Ecclesiasticis beneficijs, ac officijs, & publicis functionibus, iuxta id, quod habetur in *cap. vt. commissi. §. priuandi, de heret. in 6.* vbi sic dicitur: *priuandi præterea, vel priuatos nunciandi dignitatibus, ac alijs beneficijs Ecclesiasticis, & officijs publicis, ac honoribus quibuscumque eosdem hereticos.* Et colligitur ex *cap. si Papa, d. 40. & cap. quis contra pacem, d. 4. §. 1.* Aduocati, Tabeliones, aut Procuratores esse non possunt: nec publicum aliquod officium acquirere, quia infames sunt, item quia excommunicati: item, quia sese ab Ecclesia diuiserunt, *cap. nulla officia, d. 54.* At enim quæstio est, quo pacto sit hæc poena interpretanda; an videlicet in hæretico Presby-



ter omneat potestas consecrandi & conficiendi Eucharistiam? Respondeo ex communi sententia Canonici iuris interpretum, & Theologorum in 4. dist. 13. contra Magistrum Sentent. in 4. dist. 13. & contra Gratianum in c. *Anduinum*. 2. q. 1. manere quia hæc potestas est, Ordinis. nomine, & institutione Christi vim suam habens, & suum effectum producens, Obijcies. Canones multos esse, qui videntur asserere, nihil huiusmodi potestatis hæreticos habere. Respondeo, eos Canones intelligi debere, ita ut non habeant eam potestatem facti scilicet & functione, siue vii de bito, ac iure permisso. nam interdictum est eis, consecrare, & conficere; habent tamen habitum, & potestatem.

Quarto queritur, An in hæretico sacerdote permaneat potestas faciendi, & offerendi Missæ sacrificium pro viuis, & mortuis? Respondeo ex communi omnium Theologorum consensu contra Magistrum in 4. dist. 13. & præcipue ex S. Thoma par. 3. q. 82. art. 7. & 2. q. 39. art. 1. manere; quia verè consecrant, & offerunt nomine, & institutione Christi, qui dedit omnibus Presbyteris potestatem consecrandi, conficiendi, & offerendi corpus Domini pro omnibus viuis, & defunctis: ergo talem eis potestatem Ecclesia non abrogat. Et hoc plane colligitur ex c. *Romanus*, c. *Si quis*, c. *Si renua*, de consecr. dist. 4.

Obijcies, sacerdotes nomine Ecclesiæ offerre sacrificium: Sed hæretici sunt extra Ecclesiam, nec ipsa vult per eos sacrificium, & preces offerre, ergo nihil offerunt. Respondeo cum S. Thoma 3. par. quest. 82. art. 7. ad 3. Sacerdotem in Missa, dum orat, loqui nomine Ecclesiæ: sed dum consecrat, loqui nomine Christi, cuius vicem gerit per Ordinis potestatem. Et ideo, inquit S. Thomas, sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus, si Missam celebret, quia potestatem Ordinis non amittit, consecrat verum corpus, & sanguinem Christi, sed quia est ab unitate Ecclesiæ separatus, orationes eius efficaciam non habent. Hæc ille. Sacerdotes ergo non solum nomine Ecclesiæ offerre dicuntur; sed Christi etiam nomine, institutione, & auctoritate: & hæc ratione Sacerdotes, quamuis hæretici, verè offerunt, dummodo Christi, & Ecclesiæ in offerendo formam integram, & debitam seruent. Obijcies quod habetur in c. *Intra Catholicam Ecclesiam*. 1. q. 1. ex Augustino dicente, extra Ecclesiam Catholicam non esse locum veri sacrificij, & c. in Ecclesia. 1. q. 1. ex Leone, qui ait, *Alii scilicet quam in Ecclesia, qua corpus Domini est, nec rata sunt sacrificia, nec sacerdotia, & in c. Non oportet*, ex Concilio Landicensi. 1. q. 1. legitur: *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam magis sunt maledictiones, quam benedictiones*. Hæc & similia, ut dicit S. Thomas, loco citato, intelliguntur in hunc modum: Extra Ecclesiam non rectè sacrificium offertur, quia non fructuosè offertur. Vnde est quidem sacrificium, veritate Sacramenti, non veritate fructus. Secundo obijcies, quod habetur in c. *Arrianos*. 1. quest. 1. ex Innocentio dicente hæreticæ sacerdotij, aut cuiuslibet alterius ministerii dignitatem non habere: solum apud ipsos ratum esse Baptisma. Respondet S. Thomas par. 3. quest. 82. articulo 7. ad 2. ideo hæc dixisse Pontificem, quia in extrema necessitate possunt baptisma conferre, non alia sacramenta.

Quinto queritur, An penes Episcopum in hæ-

reticis lapsus maneat potestas Ordinis, quæ est propria Episcoporum, nimirum consecrandi, & conficiendi Chrisma, & duo sacramenta consecrandi, Confirmationem nempe, & Ordinem? Respondeo, manere: quia hæc omnia sunt nomine, institutione, & auctoritate Christi: & hinc est, ut Episcopi redeuntes ab hæresi non iterum ordinentur, c. *Conuenientibus*. 1. quest. 7. & ij qui sunt ordinati ab Episcopis hæreticis seruata forma Ecclesiæ, non iterum ordinantur, c. *Ordinationes*. 9. quest. 1. Si obijcias, quod habetur in c. *Dalbertum*. 1. quest. 7. vbi legitur, *Dalbertum, qui fuerat à Nezelone hæretico ordinatus, iterum ordinari debere, quia Nezelon nihil habuit, eò quod fuerat ab hæretico ordinatus, & proinde nihil dare potuit*. Respondeo, fuisse ordinatum non seruata Ecclesiæ forma, & ideo est iterum ordinatus.

Sexto queritur, An potestas Ordinis, qua potest Episcopus multa, quæ sacramentaliter dicuntur, conficere, nimirum consecrare altaria, templa, siue aras, Ecclesias, & calices, & vestes: & alia huiusmodi sacrare, maneat in Episcopo hæretico? Negant quidam, inter quos videtur esse Alphonsus Castrus libro 2. de *Iusta hæretic. punit.* cap. 22. permanere; eò quod hanc potestatem Episcopi habeant acceptam auctoritate Ecclesiæ, quæ eiusmodi sacramentalia instituit: Sed Episcopus hæreticus, est extra Ecclesiam, ergo eam potestatem habere non potest. Alij vero affirmant ea ratione adducti, quod Ecclesia vltimum & functionem tollat; minime autem ius, & potestatem. Ita videtur sentire Glossa in c. *Ecclesijs*, de consecr. dist. 1. vbi docet, Ecclesias ab hæreticis consecratas, non esse iterum consecrandas, si Episcopi hæretici in consecrandis Ecclesijs seruauerint, & tenuerint formam, quam seruauit, & tenet Ecclesia: alioqui esse iterum consecrandas, & ita exponit illa capita, *Ecclesijs*, & *Ecclesias*, & *Arrianorum*, de consecr. dist. 1. Et hæc videtur verior opinio. Nam licet huiusmodi potestatem possit hæreticus Ecclesia abrogare, quoniam eam non habent iure diuino; sed auctoritate Ecclesiæ; non tamen eam abrogat Ecclesia.

Septimo queritur, An sacerdos hæreticus, item & Episcopus in hæresim prolapsus, eo ipso sit omni iurisdictione priuatus: nam si priuatus sit, consequens erit, ut quæ sunt ratione publici muneris, & officij, tum à Presbytero, tum ab Episcopo, non valeant: & proinde peccatorum confessiones, quas parochus presbyter excipit, erunt procul irritæ; & sententiæ, censura, leges, siue constitutiones, ac poenæ ab Episcopo latæ, nullius erunt ponderis, ac momenti. Respondet quidam distinguentes: Si sit hæreticus occultus, valere omnia ea, quæ ratione publici muneris præstat, ac facit sacerdos, & Episcopus: quia non eo ipso, quo incidunt in hæresim, publica administratione, aut muneris functione priuantur, quod attinet ad possessionem, non ad titulum, & ius: sunt enim titulo priuati, possessione non item: Si verò manifestus sit hæreticus, quæ facit, inquirunt, non valent: atque hanc esse communem Canonici iuris Doctorum, & Theologorum sententiam, affirmant; quæ, inquirunt, ante Concilij Constantiensis tempora ideo locum habebat, quia tunc omnes manifesti hæretici, &



notoriè excommunicati vitari debebant. At verò, quia post Concilium Constantiense tantum modo euitandi sunt nominati, & expressim denunciati, aut notorij Clericorum percussores; ideo diceadum existimant, valere, quæ faciunt hæretici Presbyteri, vel Episcopi, nisi sit aliquis eorum, vel manifestus Clerici percussor, vel expressim, aut nominatim denunciatus. Et idem iuris esse dicunt de quolibet alio Ecclesiastico, vel seculari viro publicam administrationem, functionem, vel officium gerente. Non enim ij publici magistratus, vel Reipublicæ administratores hoc ipso, quòd in hæresim incurrerunt, sunt publici officij, & muneris functione, & usu priuati; nam adhuc possessionem habent, & retinent, sed damnato crimine per sententiam Iudicis, administrationem, & officium deponere, & omnise auctoritate publica abdicare coguntur. Ego tamen aliter dicendum puto, nimirum aliud esse, dubitare, An hæreticos euitare debeamus, tamquam excommunicatos; aliud verò, An hæreticos ob hæresim, non quidem internam & mente conceptam, sed ob externam verbo proditam, omni iurisdictione careat. De primo verum est, nos non debere euitare quoslibet hæreticos; sed tantum eos, qui sunt nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores. De secundo verò puto hæreticos ob hæresim externam, iurisdictionem Ecclesiasticam amittere: quia excommunicatus etiam occultus, licet vitari à nobis non debeat; iurisdictione tamen caret, vt colligi videtur ex S. Thoma. 2. 2. quæst. 39. art. 3. Vnde suspensus est ab officio, & beneficio, & ideo negligare, nec absolueret potest. 24. quæst. 1. cap. Audiemus; nec beneficium conferre potest. cap. Tanta, de concess. præben. nec eligere potest, Glossa in c. Nos. 9. quæst. 1. Valent tamen, quæ faciunt hæretici, quamdum in publico munere, & officio tolerantur, ex cap. Nonne. 8. quæst. 4. Siluester verb. excommunicatio 3. versic. 10. & 11. Voluit enim Ecclesia, vt valerent.

**O**ctauò queritur, An Sacerdos hæreticus eo ipso Beneficium Ecclesiasticum, Dignitatem, vel Officium amittat, ante omnem Iudicis sententiam, quæ eum in crimen incurrisset, declaretur? Respondent quidam cum Simanca Cathol. institut. tit. 46. num. 72. Alphonso Castrensi lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 9. ex Felino, Ancharano, & Bernardino Diaz, & alijs, quos citant, minimè esse priuatum; quare si Canonicus sit, inquit, & suffragium ferat in eligendo alio, suffragium est ratum, & firmum, licet ipse legi nequeat. Alijs verò probabilius videtur, esse ipso iure priuatum. id enim videntur dicere in cap. Quæ iure. dist. 8. Geminianus, Præpositus, & Glossa, & in cap. Vt commissi, de heret. in 6. Ioannes, Andreas, & in cap. Inter dilectos, Abbas, & Felinus in cap. 2. de Rescrip. Saltem quicquid sit de iure antiquo, iure nouo priuatus est à die commissi criminis. Extat enim Pontificia Constitutio Pij V. quæ incipit: Cum ex Apostolatus, vbi statuit, Beneficia, quæcumque fuerint, ob delictum hæresis vacare, & reseruat ea Sedis Apostolicæ ordinationi. Ita hæc sententia defenditur in Direct. inquisit. 3. par. 13. Schol. 162.

Ceterum mihi videtur secunda opinio nihil à prima differre, si vtraque bene intelligatur. Prima enim non negat hæreticum à die patrati

criminis esse priuatum iure, & titulo Beneficij, sed non concedit eum possessione carere. & hoc idem dicit secunda sententia: nec enim illud dimittere cogitur, antequam crimen eius, iudicis sententia declaretur. **Q**UÆRES, an vilius sit momenti abdicatio Beneficij ab hæretico, causa alterius ante condemnationem criminis facta? Resp. Si beneficium deponat dimittere gratia, & causa alterius, vt illi conferatur, vel cum alio commutet, penitus eiusmodi Beneficij abdicatio, aut commutatio rescinditur post hæresis condemnationem: quia, vt ante dixi, quarumlibet rerum alienationes ab hæretico factæ dissoluntur post criminis damnationem; quia retrahitur sententia vsque ad diem commissi delicti, quare ante criminis declarationem ita valet abdicatio, aut permutatio Beneficij, vt rescindi, & dissolui queat, & Beneficium auferri ei, cuius gratia hæreticus deposuit, aut permutauit. **N**am ante iam dixi, quemadmodum hæreticus à die patrati celeris, suorum bonorum dominium amittit, possessionem non item, & per declarationem Iudicis non priuatur domino, sed declaratur crimen: & declaratione facta, retrahitur sententia, & capit sicut omnia bona à die commissi delicti, & rescindit, ac dissoluit omnes alienationes: sic etiam hæreticus ob hæresim priuatus est iure, & titulo Beneficij: & cum crimen declaratur, Beneficium ei adimitur; dissoluitur abdicatio, aut permutatio, si quam fecerat à die commissi delicti, & iure nouo Beneficium vacans, non nisi Romanus Pontifex conferre potest. Ex dictis percipitur hæreticum esse inhabilem multis ex causis ad Dignitates, Beneficia Ecclesiastica, honores, & officia publica, quæcumque tandem sint illa: nam est excommunicatus, & est infamis, est irregularis, est hæreticus; & proinde extra Ecclesiam. Quare si ei Beneficium, vel officium publicum conferatur, irritum est, quod fit; & fructus, si quos percipit, restituere in foro conscientie debet: nec capax est iuris patronatus, nec pensionis Ecclesiasticæ. Scholastes in Direct. inquisit. quæst. 13. par. 3.

**S**exta hæreticorum pœna, est priuatio Ecclesiasticæ sepulture. Vnde in cap. Quicumque, de heret. statuitur sic: Quicumque Hæreticos, Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fatores eorum scienter presumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulture, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententia se noverint subiacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publicè extulerint, & proiecerint huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Hæc ibi. **Q**UÆRES, an Ecclesiasticæ sepulture priuatio, sit propria hæreticorum pœna, an omnium excommunicatorum communis? Respondeo, eo capite ante Clementinas editas huiusmodi pœnam specialiter esse in hæreticos constitutam; sed postea in Clementina 3. de sepul. irrogatam esse omnibus excommunicatis. Ibi enim dicitur, eos, qui propria temeritatis audacia excommunicatos publicè, vel nominatim interdixit, scienter sepelire presumpserint, decernimus, ipso facto, excommunicationis sententia subiacere: à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Episcopi diocesani, eis, quibus per prauis fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhiberint competentem.

Hæc



Hæc ibi. Rogabis secundo, an sufficiat ad hæreticos, vel excommunicatos Ecclesiasticæ sepulture mandandos, si idoneam satisfactionem reddiderint? Resp. minime nisi eam satisfactionem sequatur iusta, & debita absolutio: quia non solum in foro conscientie, sed in foro etiam exteriori sint absoluti. Nam cum publici, & manifesti hæretici, vel excommunicati fuerint, constare debet, eos esse absolutos, vt ad sepulturam Ecclesiasticam admittantur.

Quod autem ibi dicitur, eorum ossa esse sepultura effodienda, siue eruenda, intelligitur, quando possint ab aliorum ossibus commodè discerni, vt ait Glossa.

Septima hæreticorum poena est infamia, nam in cap. Excommunicatus. §. Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores hæreticorum excommunicatione afficiuntur: qui si satisfacere nelexerint intra annum, ipso iure redduntur infames: ergo ipsi quoque hæretici ob hæresim, cum sit publicum crimen, infamiam contrahunt. Si percontæteris, an huiusmodi infamiam contrahat hæreticus ante condemnationem criminis, & iudicis sententiam? Cassus lib. 2. de iust. heret. parit. cap. 9. ait, eam contrahere, quia est ipso iure irrogata. Deinde, quia hæc poena, in priuatione, non autem in actione consistit: sed poenæ, quæ priuationem tantum, non actionem continent, ipso facto, ante vllam iudicis sententiam contrahuntur. Demum, quia eadem est ratio de infamiæ poenæ, quæ de priuatione bonorum: sed hæreticus ante condemnationem criminis amittit suorum bonorū dominium ergo pariter infamia incurrit.

Sed verius est, hæreticum hac poena non affici, nisi post sententiam iudicis: nā infamia iuris nunquam contrahitur, nisi post condemnationem criminis, vt colligitur ex l. 1. De ijs, qui notantur infamia: idq; aperte docent Dynus in ca. Infamibus, de reg. iur. in 6. Abb. in cap. Testimonium, de testibus, & cap. exceptio, nenside excepti. Si obiejas, infames esse ipso iure: si quidem infamia est iuris, ergo ipso iure contrahitur. Respondeo, infamiam iuris dici, quia statim vt per iudicis sententiam crimen est declaratum, reus est infamis: nec enim opus est, vt iudex condemnet reum, vt infamem; sed tantum, vt crimen declaret. Sicut bona hæreticorum ipso quidem iure sunt confiscata, sed requiritur iudicis sententia, qua crimen declaretur. Verum animaduertendum est, si crimen hæresis fuerit notorium per euidentiam facti, hæreticus infamiam etiam contrahit facti, non iuris: infamia facti per contrarium factum aboletur.

Octaua poena hæreticorum continetur in cap. quinquagesimo. Ad hæc, de heret. in 6. vbi dicitur: Quoscumque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi personarum (nimirum hæreticorum, vel credentium, receptatorū, defensorum, vel fautorum eorum) dignitates, personatus, & quæcumq; alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, nā, priuatum taliter acquisitis, volentes quod tales, & habitus carere perpetuo, & si receperint illa scilicet (hoc est, vt Glossa interpretatur, sciēdo eos, qui preces offerebant esse tales) ad alia, vel similia ne quaquam in posterum admittantur. Item, filij hæreticorū credentiū, Receptorum, defensorum, & fautorum eorum vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum

admitti possunt. cap. Quicumque. §. Hæretici, de heret. in 6. Et locum constitutio habet in omnibus filiis, siue legitimis, siue naturalibus tantū, siue spurij, siue ex adulterio, incestu, aut sacrilegio natis. Anchar. Archidiaconus, Ioann. Andr. Francus in c. Statutum 2. de heret. in 6. Si QVAERAS, an comprehendat non solum filios, qui nati sunt postquam parentes delictum admiserunt; sed etiam eos, qui antea geniti, ac hactenus fuerant? Resp. omnes comprehendere, vt multorum doctorum testimonij probat Scholiastes in Direct. Inquisitorum. p. 3. qua. 1. 14. commen. 163. Si ROGAS, an sicut eiusmodi filij inhabiles redduntur ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum; sic etiam priuentur beneficijs, vel officijs ante obtentis? Resp. minime, vt rectè probat in Directorio inquisitorum loco citato Scholiastes: quamuis dicat oppositum docuisse Ioannem, Andr. Geminianum, Henricum, Ananiam, Imolam, Præpositum, quos ille citat.

Quod autem dicitur de filiis vsq; ad secundam generationem in c. Statutum secundo, de heret. in 6. declaratur, primum, & secundum gradum per lineam paternam comprehendere: per maternam verò ad vnum tantummodò gradum protendi. Exempli gratia, fingamus Titium fuisse hæreticum, credentem, receptatorem, defensorem, vel fautorem hæretici, & habuisse filium, & filiam: vterque redditus est inhabilis ad officia publica. Quòd si filius filium susceperit, ipse quoq; nepos ex filio est effectus inhabilis. Quòd si filia filium genuerit, nepos ex filia non est factus inhabilis. Item si foemina in hæresim incurrit, & filios gignat, sunt inhabiles filij, sed non ex filiis suscepti nepotes. QVAERAS, an filij, & nepotes quorumlibet Hæreticorum, Credentium, Receptorum, Defensorum, vel Fautorum eorum, à publicis officijs, vel beneficijs Ecclesiasticis sint exclusi? Resp. in eodem cap. Statutum, decerni, eam poenam tantum intelligi de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum his similiū, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & Ecclesie reconciliatos. Si ROGAS, an filij, & nepotes relapsorū, qui sine misericordia traduntur curie seculari, sed dolent, & respiscunt, & Catholici vsque ad obitum perseverant, afficiantur prædictis poenis? Hæc quæstionem mouet in Directorio inquisitorum par. 3. qua. 115. Scholiastes commen. 164. & refert duas sententias: vnam, quæ negat, quam sequitur Geminianus, & alij, quos ille citat. Alteram, quæ affirmat, quam tenet Ioan. Andr. Francus, Simancas, & alij, quos ibidem refert, & sequitur: & hæc videtur probabilior, quia relapsi, quamuis per poenitentiam respiscant, non habentur pro reconciliatis, eò quòd curie seculari traduntur.

Deinde quæres, an huiusmodi, quam diximus, poena afficiantur filij hæreticorum, vel aliorum, quos commemorauimus, qui tales sunt occultè, vel tales occultè decesserunt? Respondeo, minime: quia in eo cap. aperte dicitur: qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur. TERTIO ROGABIS, an eam poenam contrahant filij hæreticorum, vel aliorum huiusmodi, qui tales sunt manifestè per euidentiam facti;



an verò tantummodo eorum, qui sunt tales manifestè per sententiam Iudicis, vel per propriam confessionem in Iudicio? Resp. ad eam poenam contrahendam sufficere, si sint filiorum, quos tales esse confiterit, siue per evidentiam facti, siue per sententiam Iudicis, siue per propriam confessionem in iudicio. Item, satis esse, si eos tales esse manifestum sit in ijs locis, in quibus eos viuere, aut vixisse, constat.

Vltima poena hæreticorum, est capitis supplicium. Olim iussa Imperatorum Catholicorum hæretici pecuniaria multa damnabantur. *L. Cuncti hæretici. C. de hæret.* Item, exilio puniri solebant, ut patet ex *l. Arriani. C. de hæret.* Postea à Theodosio lege condita, priuari coeperunt omnium bonorum dominio, ut constat ex *l. Manicheos. C. de hæret.* Sicut ij, qui crimen læsæ maiestatis admittunt. Deinde, capite puniri coeperunt. *l. Arriani. C. de hæret.* Vnde gladio alicubi necantur: in Fladria, & alijs inferioris Germaniæ locis, capitis obruncatione puniri, testatur Alphonsus Castrus *lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 12.* Alibi ligatis pedibus, & manibus projiciuntur in flumen, ut absorpti, & aquis obruti pereant, quo modo in Geldria multos interijisse tradit idem Alphonsus. Per Italiam, Galliam, & Hispaniam igni exuruntur. Seiscitaberis; an iusta sit hæreticorum poena capitalis? Respondeo, esse iustam, quamuis Lutherani eam, ut sacris litteris repugnantem reprehendant. Nam *Leuit. 24.* & *Nam. 25.* qui ad Magos declinauerat, capitis supplicio plectebantur. Item *Leuit. 24.* blasphemi: *Deut. 17.* falsi prophetæ. Et *Greg. l. 1. Dialog. c. 4.* scribit, fuisse Basilium quendam Magû, qui tandem in Vrbe Roma exardescente zelo Christiani populi crematus est. Et Athenienses, quos impietatis damnabant, lapidibus obruebant. *Aelia. lib. 5. varia historia.* Nec mirum est, si tam grauiter in hæreticos animaduertatur; cû adulteratores monet, & perduellionis rei, capitis poenam sustineant, *l. 1. 2. 3. de falsa moneta, & l. Quicumque, & l. lege Cornelia. ff. Ad legem Corneliam, de falsis, & l. Lex. xij. tabularum. ff. Ad legem Iuliam de maiestatis.* Obijcies, Christum Dominum Petro dixisse: *Si Ecclesiam non audierit, si tibi sitis Ethnicus, & Publicanus.* Respondeo, ibi tantummodo fuisse Christo Domino sermonem de poena, quam potest Ecclesia delinquentibus irrogare.

Deinde obijcies Christum *Matth. 13.* in Parabola de zizanijs, & tritico vetuisse zizania eradicari, ne simul & triticum euelleretur, & tandem subiecisse: *Sinite, aientem, viraque crescere vsq; ad messem.* Sed appellatione zizaniorum hæretici intelliguntur secundum Chryostomum, Hieronymum, Augustinum, Theophylactum, & Euthymium. Respondeo, ex parabolis non semper argumentum efficax sumi. Præterea, zizaniorum nomine eos generaliter accipi, qui inter triticum, id est, bonos; verbo, exemplo, vel factis corrupta femina, id est, prauos mores, falsaque dogmata spargunt, ac se mutant. Nec etiam Christus Dominus vetuit simpliciter eradicari zizania; sed ne tunc eradicentur, quando vnâ cum ipsi triticum sit euellendum.

Item obijcies, fidem spontaneam, & volun-

tariam esse debere, & proinde neminem ad credendum cogi oportere Respondeo, eos, qui nunquam nomen Christo dederunt, esse propria voluntate ad fidem conuertendos; qui verò sacro Baptismate abluti fidem & religionem Christi Domini susceperunt, iure coguntur id præstare, & exoluere, quod promiserunt; quoniam à fide, & religione suscepta defecerunt. Obijcies postmodò Chryostomum in *Matth. c. 13.* asserentem hæreticos non esse occidendos, sed tolerandos. Eius enim in parabola de tritico, & zizanijs hæc sunt verba: *Non prohibet Dominus conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi precidere: Verum prohibet eos interficere, & tunc dare Euthymius quoque, & Theophylactus Chryostomum secuti, aperte iniquum, nõ permisisse Dominum hæreticos necari.* Hieronymus item, & Augustinus zizaniorum vocabulo, quæ non sunt Dominus euelli, intelligunt hæreticos. ac ut refert Sulpitius *lib. 11. Sacra historia, prope finem.* S. Martinus apud Treueros constitutus, assidue increpabat Ithacium, ut ab accusatione in Priscillianum secuti, aperte iniquum, nõ permisisse Dominum hæreticos necari. Hieronymus item, & Augustinus zizaniorum vocabulo, quæ non sunt Dominus euelli, intelligunt hæreticos. ac ut refert Sulpitius *lib. 11. Sacra historia, prope finem.* S. Martinus apud Treueros constitutus, assidue increpabat Ithacium, ut ab accusatione in Priscillianum, & alios hæreticos desisteret, & Maximum Imperatorem vehementer orabat, ut sanguine hæreticorum abstineret, sufficereque aiebat, ut Episcopali sententia iudicari Societis pellerentur. Et quamdiu Martinus Treuereis fuit, dilata cognitio est: & mox discessurus, à Maximo ipsam sententiam elicit, nihil cruentum in hæreticos constitutum. Qui cum postea didicisset sententia iudicium Priscillianum, & alios capite damnatos fuisse, nolebat sermones, & commercia habere cum ijs Episcopis, qui Priscillianum & alios hæreticos morte damnandos curauerant. Respondeo, Chryostomum, Euthymium, & Theophylactum, ut ex eorum in Mattheum commentarijs aperte colligitur, id solum docuisse, hæreticos non esse interimendos, cum inde bella, & cædes hominum, & Reipublicæ, & pacis perturbatio oriuntur: & hoc esse, inquit, quod Dominus iussit: *Sinite viraque crescere vsque ad messem, &c.* Postquam dixerat: *Ne furis colligatis zizania, et abstersis simul & triticum.* De Augustino ingenue fatemur, cum prius in ea fuisse sententia, ut hæretici nec punirentur, nec cogerentur: quam sententiam ipse postea mutauit. Sic enim scribit Epist. 43. ad Vincentium; *Mea primis sententia erat, neminem ad veritatem Christi esse cogendum, verbo esse assentendum, & inquisitione puniendum, ratione vincendum, ne fides Catholica haberetur, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contrariis verbis, sed demeritis exemplis superabatur. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad veritatem Catholicam timore legum imperialis conuersa esset: & ita alie multa, quæ mihi nominatim commemorabatur. Et in Epist. 50. ad Bonifacium Comitem, ita scribit: *Verum tamen antequam ista leges (Imperiales scilicet, quarum paulo ante meminit,) quibus ad conuincium sanctum coguntur intrare, in Africam intrarent, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quoniam Donatistarum rabies vsque quaque feriret, non esse potest, nisi ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim haberetis auocato non esse, penam constituendo eis, qui in illa esse voluissent: sed hoc potius constituerent, ut eorum furias violentia non punirentur, qui veritatem Catholicam, vel prædicant loquuti-**

*Matth. 18.*



do, vel legentem constituendo. Hæc B. Augustinus.  
 Ex his intelligitur B. Augustinum primum sensisse: Hæreticos poenis, nec esse puniendos, neque cogendos. Postea verò cum legisset Catholicorum Imperatorum leges, quibus Hæretici poena pecuniaria, & exilio pledebantur, mutata sententia censuit eas poenas æquissimo iure esse in Hæreticos constitutas: sed non esse capitali supplicio Hæreticos damnandos, vt seruent Imperatores, & Principes Catholici etiam circa indignos Christianam mansuetudinem: non quòd inuisitiam eam poenam existimaret; sed quòd ea nondum ab Imperatoribus irrogata esset Hæreticis, & quòd nò videretur lenitati Christianæ congruere: quam tamen etiam postea perpexit, & tradidit esse iustam, vt videre est apud Augustinum libro 3. contra Epistolam Parmeniani, capitulo secundo.

Ad illud verò Seueri Sulpitij de S. Martino, respondetur; tria fuisse, quæ S. Martino minime probabantur. Primum, quia nouum, & insolitum erat, vt causam Ecclesiæ, iudex sæculi cognosceret, & iudicaret. Deinde nondum noverat legibus Imperatorum poenam capitis esse in hæreticos constitutam. Demum minime probabat, quòd vulgò ferebatur, Ithacium, & socios accusationem contra Priscillianum, & alios Hæreticos persequi magis vindictæ causa, quam Ecclesiæ, & veritatis tuendæ; & quòd verosimiliter ex ea damnatione, reipublica Christianæ pax, & tranquillitas perturbanda credebatur. Rogabis, unde originem traxerit poena, qua Hæretici in Christiana Republica igni exuruntur? Hostiensis, Ioan. Andreas, Abbas in cap. Ad abolendam, de Hæreticis, docent hanc poenam colligi ex eo, quòd Christus Dominus dixit Ioann. 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmet, & ardeat; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Sed ibi, nec Dominus loquitur de huius sæculi igne, sed de igne inferorum æterno: nec loquitur tantum de Hæreticis; verum de peccatoribus in vniuersum, qui excidentis à gratia, & charitate, in Deo non manent. Quare, hæc poena vniuersi, & more perantiquo primum est introducta, deinde vniuersi etiam est confirmata, & tandem iure quoque scripto comprobata. Nicephorus certè lib. 13. cap. 4. prodidit, Anatolium quendam vnà cum suis popularibus Idola coluisse: & cum Anatolij socios captos, Iudices ostracismo, hoc est, quindecennali, vel decennali exilio puniendos, non iugulandos censuissent, plebs Constantinopolitana diuino ardore succensa, eos rapros, & piscatorijs nauibus impositos igni viuos combussit. Anatolius verò postea beatis obiectus, & in Crucem actus est: quem deinde à Cruce sublatum, lupi deuorauerunt. Gregorius etiam; ( vt superius annotauimus) refert lib. 1. Dialog. cap. 4. Basilium magum Romæ, zelo Christiani populi exardescente fuisse concrematum. Et Zonaras in vita Alexij conseribit, Basilium hæreticum communi suffragio Iudicum fuisse combustum: testantur item auctores, Antonin. par. 3. tit. 21. cap. 8. §. 3. Blon. lib. 9. deca. 2. Platin. in vita Clem. 5. Aemil. lib. 8. de gestis Francorum. Templarios ob impiam disciplinam

fuisse per Galliam igni exustos. Denique Numerorum cap. 16. in seditione contra Mosen, Core, Dathan, & Abirom, vnà cum suis tentorijs, & vniuersa substantia viuos terra deuorauit. Sed & ignis diuinitus immisus ducentos quinquaginta viros, qui ipsorum partes sectati incensum offerebant exussit: sicque consumpti periere, tanquam Schismatici, qui à suo capite deliuerant. Hæc autem poena ignis puniuntur hæretici relapsi, pertinaces, & ij, quos suæ hæresis non poenitentia alij omnes hæretici Ecclesiæ gremio, recipiuntur iuuuicta poenitentia salutari.

Cap. XIV.

De Relapsis in hæresim.

Primo Queritur, quisnam in iure Canonico Relapsus hæreticus censetur? Respondeo, ex Archidia. Ioan. Andr. Gemin. Ancha. Fraco, & alijs in cap. accusatus, de hære. in 6. eum, qui postquàm hæresim publicè coram Iudice abiurauit, hoc est, iureiurando damnauit, & execratus est, in eam iterum incurrit. Vnde etiam si milles quis in hæresim, à qua per veram cordis poenitentiam recessit, relabatur, Relapsus non habetur, nisi eam hæresim coram Iudice abiurauerit. Porro de relapsis in hæresim agit Siman. de Cathol. instit. tit. 57. Alpho. Cast. lib. 2. de iusta hæretico punit. c. 2. Zanchi. de hære. cap. 16. Directo inquisito. par. 2. q. 40. 55. 58. & ibidem Scholiast. commen. 33. Si quæres, an qui vnà solùm hæresim abiurauit, si postea in aliam diuersam labatur, relapsus habeatur. Ioan. Andr. loco citato negat relapsum haberi. Archidiaconus verò, quem sequuntur Geminianus, Franeus, & alij, sentiunt, eum relapsum esse. Profectò iuxta Etymologiam, & proprietatem vocabuli relapsus non est, sed secundum ius relapsus est.

Secundò Queritur, An vno modo tantum Relapsus in iure Canonico dicatur? Respondeo, ex cap. Accusatus, de Hære. in sexto, Relapsus quatuor modis dicitur: primò proprio, eum, qui postquam in Iudicium vocatus, & ob hæresim accusatus, conuictus eam abiurauit, & deinde rursus in eandem incurrit: Secundò eum, qui coram Iudice damnatus, vt vehemèter suspectus de hæresi, eam abiurauit, in quam iterum labitur: Tertio, eum, qui certa aliqua hæresi infectus, abiurauit coram Iudice simpliciter, ac generatim omnem hæresim, & postea in aliam longè diuersam incidit. Quarto, eum, qui coram Iudice damnatus ob hæresim, abiurauit eam, & deinde Hæreticos alloquitur, reueretur, inuist, se illis adiungit, cum eis commercia, siue consuetudinem habet, eos muneribus afficit, laudat, prædicat, commendat. Hodie qui reuertuntur ab hæresi, licèt in vnâ tantum inciderint, omnem hæresim abiurant, vt testantur Siman. lib. de Cathol. institut. tit. 1. num. 12. Directo. inquisito par. 2. q. 40. Schol. lib. 65.

Tertio Queritur, An qui damnatus ob vehementem hæresis suspicionem, eam abiurauit, & deinde hæreticis adhæret, eos comitatur, & honore prolequitur, Relapsus censetur? Respondeo, eum pro Relapso haberi. Sic Archidiaconus. Ioan. Andreas, Ancharanus, Geminianus, in quest.

Accu.



*Accusatus, de Hæret. in Sexto. Simancas de Catholi. insti-  
tut. tit. 57. nu. 4. & 5. & 6. Alph. Cast. l. 2. de inst. hæ. pu-  
nit. cap. 2.*

**Quarò** Quæritur, An qui abiuravit hæresim certam, & postea communione sermonis, & rerum vitur cum Hæreticis certa alia hæresim dogmata sequentibus, tanquã Relapsus puniri debeat? **Alphonsus** Castrus libro citato, negat eum esse relapsum: affirmat Simancas, loco prædicto, nu. 6 & 7. sed tandem fatetur, non esse tanquam relapsum puniendum: quia pœnas iuxta juris Regulam restringere, & mitigare, hoc est, benignius interpretari debemus.

**Quintò** Quæritur, An qui abiuravit hæresim, & detrusus in carcerem inde aufugit è custodia, & vinculis, sit pro relapso habendus? **Respondet** Simancas non esse.

**Sextò** Quæritur, quæ sit hæretici Relapsi pœna? **Respondet**, eum curiæ seculari tradendum, sine vlla spe veniæ, & miserationis, quamvis sui peccati pœnitentiam egerit, ei tamen non denegantur Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, cap. super eo, de Hæret. in 6. cap. ad abolendam, de hæresi.

**Septimò** Quæritur, An Hæreticos per veram pœnitentiam redeuntes excipere suo gremio debeat Ecclesia? **Respondet**, Hæreticos respicientes benignè ab Ecclesia excipi, si relapsi non fuerint, & salutarem eis pœnitentiam iniungi: pertinaces verò, qui renuunt ad saniorè mentem conuerti, hæresim exuere, & deponere, primum monet uti respiciant, & hæresim abiurent: deinde lata sententia, qua declarantur Hæretici pertinaces, Iudici seculari relinquuntur: qui confestim eos iustis, ac debitis pœnis condemnare debet: si clerici sint, omni Clericorum gradu, honore, & priuilegio spoliantur, t. Excommunicatus §. Denunciandi. De Hæret. Relapsi verò, quamvis acta pœnitentiæ, spes omnis veniæ denegatur, ut diximus, & deinde eos Iudici seculari tradit Ecclesia, ut in eos secundum leges animaduertat. **V**trique verò, tum relapsi, tum alij, quando pertinaces non sint, prius strangulari solent, & postea comburi. **Quare** ante relapsum, vitur Ecclesia misericordia cum redeuntibus ab hæresi, vitam eis concedendo, pœna mortis in pœnam carceris perpetui commutata; publicatis tamen bonis, cap. Vt commissi, de Hæret. in Sexto. **P**ost relapsum verò, vitur Ecclesia, seuero iure, scilicet, spe veniæ denegata, etiam si eos sui peccati pœniteat. cap. Ad abolendam. §. Illos quoque, de Hæret. vbi dicitur: sine vlla pœnitentiæ audientia, seculari iudicio relinquendos discernimus.

**Obijciēs**, in l. vlt. c. De summi Trinit. & fid. aperte dici: Gremium suum redeuntibus nunquam claudit Ecclesia. Item. 23. **Q**uestio, cap. Duo, habetur peccatores nunquam deferendos, quia homines sunt, persequendam in eis propriam iniquitatem, sed miserandã, & subleuandam communem naturam. **R**espondet **G**lossa in cap. super eo, de Hæret. in Sexto, Ecclesiam gremium suum redeuntibus non claudere: quia quãuis illis bona, & vitã eripiat; nõ tamè denegat Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sed certè in duobus locis productis insinuari videtur, Ec-

clesiã redeuntibus parcere, præsertim in vita, cum dicatur, communem naturam subleuandam, nec vnquam peccatores deferendos, quia homines sunt. **R**espondeo, esse naturam subleuandam sub sidijs ad salutem animæ necessarijs. **V**el dicendum est, legem supra citatam tunc temporis editam fuisse, quando omnes in vniuersum Hæreticos ad saniorè mentem reuersos excipiebat Ecclesia. Et eodem modo respondetur ad cap. Duo. 23. q. 4. **P**ostea verò longo experimento didicit Ecclesia, à relapsu, iure spei omnem veniæ hæreticis præcidi oportere, ne qui relabuntur in hæresim, alios inficiant, & corrumpant. **I**tem, ne alij facilius in hæresim iam abiuratum excidant. **P**reterea, quia Relapsus in hæresim ex magna in Fide, & Religionè inconstantia, & leuitate nati, & profici sci solet.

**O**ctauò Quæritur, An Hæretici lata sententia ab Ecclesia condemnati, iure possint intra gremium Ecclesiæ excipi, si post eam sententiam ad meliorem vitæ frugem redire voluerint? **I**ohann. Andreas, & Archidiaconus restantur in t. accusatus, de hæret. in 6. secundum iura quidem eos excipi posse, & debere; quia iure Canonico solum Relapsi spes veniæ denegatur. **A**lij verò celsè, secundum iura nec posse, nec debere admitti, quia in cap. Ad abolendam, §. Illos quoque, de Hæresi, in vniuersum statuitur, Hæreticos post latam sententiam ab Ecclesia de crimine, Iudici seculari eos esse relinquendos. **V**erum prima sententia tanquam mitior, & benignior, videtur secundæ præcedenda. **S**ciendum est, Paulum 4. constitutionem edidisse, quæ incipit, Cum quorundam hominum, vbi statuit, pro relapsi haberi, & tanquam relapsi curiæ seculari tradendos etiam post primum lapsum eos, qui assererint, vel dogmatizauerint, vel crediderint aliquem ex infra scriptis erroribus: videlicet, vel Deum omnipotentem non esse Trinum in personis, & incompotitum omnino, indiuisibile, & vnum vnus simpliciter Diuinitatis essentia. **A**ut Dominum nostrum Iesum Christum, non esse verum Deum eiusdem substantiæ per omnia. cum Patre, & Spiritu sancto. **A**ut eandem secundum carnem, non esse conceptum in utero Beatissimæ, semperq; Virginis Mariæ de Spiritu sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph. **A**ut eandem Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum non subijisse aeternam et æternam mortem, ut non à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret. **A**ut eandem Beatissimam Virginem non fuisse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in Virginitate integritate, nec partum sanctos, in partu, & perpetuò post partum. **H**æc ibi.

**N**ondò Quæritur, quomodo Hæretici ad Fidem redeuntes, sint recipiendi ab Ecclesia? **R**espondeo, oportere eos prius hæresim abiurare, hoc est, iurando damnare, aut simpliciter, nimirum generaliter omnem hæresim, aut specialiter eã, ob quam sunt condemnati, aut suspecti vehementer. **G**lossa in cap. Accusatus, de Hæret. in Sexto, Deinde scripto promittere, se deinceps firmè crediturus quicquid Catholica fides Ecclesiæ profiteretur, postea verò absolui debere solemnè ritu seruatis ijs, quæ Canones, & intra postulant, ad solemnem absolutionem, & imposita pœnitentiã salutari.



## Cap. XV.

## De Credentibus, Receptoribus, Defensoribus, &amp; Fautoribus Hæreticorum.

**D**e his omnibus tractant Archidia. Io. Andr. Ancha. Geminianus. Francus, & alij in cap. quicumque §. 1. & §. Hæretici autem, de hæret. in. 6. Zanchinus de hæretic. ca. 3. Siman. de Catholi. institut. si. 15. Alphons. Cast. de iust. hæretic. punit. l. b. 2. cap. 17. Direct. inquisit. par. 2. q. 50. §. 1. 52. 53. & ibidem Schol. 75. 76. 77. 78. Silu. hæresi. 1. q. 10. Tabien. hæretic. nu. 20. 21. Brunus, lib. 1. de hæret. cap. 4. Illud primò quaeritur, quinam intelligantur nomine Credentium? Et quomodo à Suspectis de hæresi, & à fautoribus Hæreticorum discernantur? **R**espondeo, eos intelligi credentes, qui specialiter nulla quidem hæresi sunt infecti, sed verbis tamen, vel factis id profitentur se credere, quod Hæretici credunt. Veluti, qui verbo, vel factò declarat, se cum Lutheranis, & Caluinistis sentire, vel si dicat, se vel le mori cum eorum erroribus, vel se credere, eos nihil contra Fidem Catholicam docere. Præterea, qui ritus hæreticos officiosè coleret, obseruaret, & veneraretur, censeretur Credens. Item, qui morbo laborans, aut calamitatibus, & malis pressus, hæreticos suos consolatores vellet, peteret, vocaret, & exciperet, aut aliquid eorum, quæ ad ritus, & cæremonias Hæreticorum spectant, efficeret. **A**nimaduertendum est, eos factò esse propriè credentes Hæreticorum, qui ea faciunt, in quibus ritus Hæreticorum continentur. Qui verò ea perpetrant, in quibus ritus Hæreticorum non sunt, suspecti de hæresi censentur; non tamen credentes Hæreticorum: oportet enim distinguere credentes à suspectis, quoniam non eisdem poenis iuris vtriq; afficiuntur.

**Q**uæres, An credentes censeantur, qui cum Hæreticis vtuntur aliqua cõmuniõne sermonis, vel rerum; vt si eos inuisant, aut indigentes subleuent? **R**espondeo, tales potius esse Fautores, quam credentes: nam credentes vocantur, qui factis quidem opem, & auxilium petunt, & captant ab Hæreticis, cõmuniõne rituum vtentes: Fautores verò, qui opem ipsis, & auxilium præstant. **Q**uæres deinde, an censeantur credentes, qui Hæreticorum conciones audiunt semel, & iterum, aut frequenter: & qui eorum libros apud se habent, accipiunt, legunt: qui eos tanquam bonos viros prædicant? **R**esp. eos in foro exteriori iudicandos esse tanquam credentes, & reuera tales esse, & meritò puniendos, si ea scienter, & seridò, & bis, aut sæpius faciant: ut in foro interiori, non esse credentes; nisi putent eorum conciones, libros, sermones esse vtilis, & salutaris. Si enim eorum concionibus intersint, libros legant, accipiunt, habeant & cū Hæreticis sermones conferant, vt eorum consulent errores, credentes minimè censendi sunt: sed in ijs locis, in quibus soli Catholici cõmorantur, vt in Hispania, Italia, Sicilia, Sardinia, pro credentibus, vel suspectis de hæresi haberentur ij Catholici, qui etiam semel tantum occulta hæreticorum conuenticula adirent, nisi Episcopo, vel inquisitori denuncia-

rent: at in prouincijs, & locis, in quibus Catholici vna cum hæreticis viuunt, non eo ipso, quòd semel, aut iterum hæreticorum conciones audierint, tanquam credentes censeantur, nisi cum frequentauerint. Item, si Hæreticis inseruiant, eos comitentur, ducant, & reducant aliq; non sunt habendi pro credentibus: sed potius censerentur debent Fautores, eò quod opem illis ferant, nisi id præstent tanquam famuli, serui, vel mercenarij stipendio conducti.

**S**ecundò quaeritur, Quinam Receptorum nomine intelligantur? **R**espondeo, hæc in re, secundum leges, Canones, & iura, nomen esse accipiendum: nam licet nomen Receptor iuxta Grammaticæ regulas, frequentiam significet: in vtroque tamen iure, Ciuili, & Canonico, pro simplici nomine accipitur: & in iure ciuili is Receptor, aut Receptor appellatur, qui etiam excipit, & celat aliquem, vt manus Iudicis enadat. l. 1. ff. De Receptoribus, & l. Congruis, ff. De officio Proffid. At verò ius canonicum nomine Receptorum Hæreticorum eos accipit, qui hæreticos excipiunt alicubi, siue sæpius, siue semel tantum, siue publicè, siue occultè: dummodo tamen eos scienter recipiant. **Q**uæres, An Receptatores censeantur, qui Hæreticos domi excipiunt tanquam sibi societatis, propinquitatis iure, vel beneuolentiæ amicitia iure necessitudine coniunctos? **R**espondent quidam, eos non esse pro Receptoribus habendos, ita Caietanus in sum. Excommunicatio cap. 1. quem alij inter quos est Nauarr. in Man. cap. 27. n. 51. sequuntur, quoniam iuxta eorum sententiam, duo requiruntur: Primò vt scienter excipiant, hoc est, nouerint esse hæreticos: Deinde, vt tanquam hæreticos recipiant. Existimo tamen id locum habere in foro conscientie, non autem in foro exteriori, vt dicam in *Questione proxima sequenti.*

**T**ertio quaeritur, An qui recipit scienter Hæreticum, vt sibi alioqui amicissimum, excusetur à poena Receptoris? **R**espondent nonnulli è quorum numero est Tiraquel. de poenis tempor. aut remission. causa. 4. & 22. eum excusari. Alij sentiunt, cum Glossa cap. excommunicatus, de hæreti. cum puniri debere. Sed dicendum arbitror, in foro conscientie excusari, si reuera solum tanquam sibi amicitia iure deuinctum exceperit, non tanquam hæreticum: in foro tamen exteriori haberi tanquam Receptorem, & proinde tanquam excommunicatum, & in alias iuris poenas prolapsum.

**Q**uartò quaeritur, An si Filius Patrem hæreticū, aut vxor virū, aut frater fratrem scienter exceperit, sint poena Receptorū puniendi? Aliqui censent, eos esse iuris poenis plectendos. Alij verò volunt puniri quidem debere; sed mitius, quod probat ex eo, quod l. 2. ff. De Receptoribus, dicitur: eos apud quos affini, vel cognatus latro conseruatus est, neq; absoluendos, neq; seuerè admodum puniendos, non, n. par est, eorū delictū, & eorū, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt: ergo à simili, idè iuris est in presẽtia. **V**erius tamen puto, quod tradidit Simanca. de Catholi. institut. tit. 15. n. 21. aut eos, non esse puniendos, aut leuissima certè poena coercendos: quoniam naturæ iura, non sunt Hæreticis deneganda, neque enim ea facillè possumus exuere. **O**bjicies, Denegantur hostibus, ac proditoribus patriæ, &



ijs, qui sunt publicè scripti, ergo etiam Hæretici denegari debent. Respondeo: non tam grauius in Rempublicam, aut in Reipublicam communem pacem, & tranquillitatem Hæreticos semper peccare, atque hostes, & proditores patriæ; nisi pater hæreticus filium, aut maritus uxorem, aut frater fratrem studeat corrumpere. Idem fuit dicendum de ijs, qui recipiunt reos læsa maiestatis, tanquam cognatos, aut affines.

**Quintò** Queritur, An qui hæreticum excipit metu mortis, ne ab eo occidatur, in iuris pœnas incurrat? Respondeo, minimè: quia, ut alibi diximus lib. 5. cap. 6. q. 6. & lib. 1. cap. 11. q. 1. leges humanæ conscientiam non obstringunt cum certo, & probabili vitæ discrimine. Qui item metu mortis Hæreticum recipit, non tanquam hæreticum recipit, sed ut vitam suam tueatur, & seruet.

**Sextò** Queritur, quinam Defensores Hæreticorum in iure censentur? Respondeo, eos, qui quomodolibet impediunt capturam Hæreticorum, condemnationem, animaduersionem, supplicium ac pœnas: qui quavis itidem ratione student, & curant, ne Hæretici in manus Iudicis deueniant, aut ne denuntientur, accusentur, vel ne deferantur ad Iudices eorum hæreses prauaque dogmata, ne examinentur, interrogentur: denique tales iudicantur, qui quavis ratione Inquisitorum munus, & functionem impediunt. **Quæres**; an Defensor censeatur, qui Hæreticum defendit, ne ab aliquo priuato homine lædatur, aut qui ipsi patrocinium ferat in causa iustæ litis, aut quæ iusta probabiliter creditur? Resp. minimè, quoniam est iusta defensio hominis illatam vim, aut iniuriam sustinentis. **Quæres** deinde, an pro Defensore haberi debeat, qui Hæreticum defendit tanquam sibi cognatione amicitiaue coniunctum? Resp. solum eum Defensorem censeari in foro conscientia, qui Hæreticum scienter tanquam Hæreticum defendit. Sic Caietanus in summa excommunicatio cap. 1. cuius sententiam sequitur Nauarrus in Man. ca. 27. num. 55. Secus est in foro iudiciali.

**Septimò** Queritur, quinam Fautores Hæreticorum reputentur? Respondeo, ut constat ex Directo. inquisito par. 2. q. 53. Schol. 78. Fautores dici dupliciter omissione, aut commissione. Omissionem quidem eos, qui cum publica administratione fungantur, & publica auctoritate valeant, id contra Hæreticos facere negligunt, quod iure deberent: qui nimirum Hæreticos læta sententia ab Ecclesia damnatos non exterminant, expellunt, eijciunt, puniunt, ut debent: vnde priuati homines si eos expellendos, aut puniendos, non curant, Fautores Hæreticorum non censentur. Commissionem verò omnes, tum Magistratus, ac ceteri qui publico Iudicium munere funguntur; tum etiam priuati homines, Fautores reputantur, si verbis Hæreticos, quatenus hæretici sunt, excusent, prædicent, laudent, commendent, dummodo id scienter, & serid fecerint. Item, Fautores censentur, qui quomodolibet Hæreticis scienter opem, & auxilium tulerint, eis subministrando, quibus egēt, vitæ subsidia, nisi ea officia præstiterint non tanquam hæreticis, sed tanquam sibi iure propinquitatis, vel amicitiaæ foedere, & vinculo coniunctis: tunc enim in foro conscientiaæ fautores hæreticorum non sunt, ac in foro iudiciali tanquam

tales habentur, & merito puniuntur.

**Octauò** Queritur, An Receptor, & Fautor, vel Defensor Hæreticorum iure cogatur, ut pœnas euitet, ignorantiam suam probare: an verò potius accusatoris inter se probare, ab eo, non per ignorantiam, sed scienter, Hæreticos receptos, aut defensos fuisse? Alphon. lib. 2. de iustia Hæret. p. nitione cap. 17. censet Receptororem debere se innocentem, & à culpa liberum ostendere, si per ignorantiam id fecerit. Alij putant, quos refert Simancas lib. de Cathol. in iustia, tit. 15. num. 18. id oneris receptori incumbere, quodcumque probabiliter creditur, eorum, quos recipit, hæresim nouisse, ut quia erat palam, ac publicè notum, eos esse hæreticos, & non erant amici, vicini, cōsanguinei. Sed verius existimo; quod alijs videtur, videlicet Simanc. loco citato, ubi citat Accursium, Bartholum, Romanum, Decium, & alios, etiā in hoc, Regulam iuris tenendam, nimirum: In factō alieno, probabiliter ignorantiam credi, & onus probandi contrarium ad accusatorem pertinere, & ad eum, qui in Receptore, aut defensore Hæreticorum scientiam fuisse contendit: & credendum arbitror receptori, si suā ignorantiam iururando confirmet. Ex quo perspicitur, iure optimo nauas, capones, stabularios, & similes, qui nec lege, nec alio iure compelluntur ad mores aduentantium perferendos. l. 1. ff. De factis, aduersus nau. cap. stabul. excusari à pœna Receptoris: ù.

**Nonò** Queritur, quæ sint huiusmodi hominū pœnæ? Respondeo, eos omnes esse excommunicatos. cap. Nouerit. De sent. excomm. & cap. excommunicatus. §. Credentes, de Hæreticis: quorum excommunicatio non erat olim Romano Pontifici referuata. Hodie tamen; ut constat ex constitutione Pontificia, quæ quotannis publicè legitur in die Cane Domini, Romano Pontifici referuatur. Item, puniuntur alijs consuetis Hæreticorum pœnis, ut compertū, & notum est ex multis iuris Canonici capitulis. Ac præter ceteras pœnas, Receptores, postquā sunt excommunicati, & in huiusmodi pertinacia persistunt, proficiuntur an perpetuum relegantur, & bona confiscata amittunt. Zanchi. de Hæreticis. c. 17. num. 4.

### Cap. XVI.

De legendis, aut retinentibus apud se libros Hæreticorum.

**P**rimò loco id in quaestione veniat, an legentes, vel apud se retinentes Hæreticorum libros, eorumdem hæresim continentes, vel de religione tractantes, aliquam iuris pœnam contrahant: de hac re tractant Doctores in cap. fraternitas. de hæret. & in cap. damnatus de sum. Trinit. & ff. Cathol. Zanchi. de hæret. cap. 7. Alphonus Castus lib. 2. de iustia hæret. punit. cap. 15. 16. & 17. Brunus lib. 6. de hæret. cap. 6. Albertin. de agnoscent. assertio. q. 12. num. 13. & q. 28. Simanc. c. 4. Direct. inquil. p. 2. c. 4. & ibi Schol. com. 3. Respondeo, ipso iure eos in excommunicationem incurere Romano Pontifici referuata, ut constat ex Constitutione Pontificia legi solita quotannis in die Cane Domini, quam habet Nauarrus in Man. cap. 27. num. 55. & sequentibus. Sed hoc intelligendum est de ijs, qui scienter, ut in ipsa constitutione dicitur legunt, vel retinent, hoc est, de ijs, qui norunt eorum librorum



auctores esse hæreticos: qui item talium librorum lectionem esse ab Ecclesia interdictam, non ignorant.

Secundo queritur, An qui habent, vel legunt libros Catholicorum continentes ad verbum, Hæreticorum errores ad eos confutandos, incidunt in prædictam excommunicationem? Respondeo, quia hoc non est, retinere apud se, vel legere libros Hæreticorum. Sic Nauarr. in Manuali cap. 27. nu. 56. *Quæres*, an qui legunt eiusmodi libros Catholicorum, eo tantum animo, ut sciant Hæreticorum falsa dogmata, eorumque argumenta, & rationes, contrahant huiusmodi excommunicationem? Respondeo, cum Nauarr. loco citato, non contrahere: quia hæc poena non propter solum affectum, & studium contrahitur; sed ob factum, & studium retinendi libros Hæreticorum, quales, Catholicorum libri minimè censentur.

Tertio queritur, An qui legerit in huiusmodi libris Hæreticorum unum, vel alterum tantum versiculum, aut pauca verba tantummodo, incurrat prædictam excommunicationem? Respondeo, excommunicatione neminè affici, nisi ob lethale crimen, quod admisit. Vnde si lara esset excommunicatio in eos, qui furantur, ea non teneretur is, qui parvam pecuniæ quantitatem surriperet: Ita, si in legendo uno, aut altero versiculo, venialis duntaxat culpa sit ob materiæ paruitatem, excommunicatio ob id, minimè contrahitur.

Quarto Queritur, An famulus qui iussu Domini hæreses volentis audire, legit librum hæretici alicuius, hæresim continentem, vel de religione tractantem, quem talem esse nouit, prædictam excommunicationem afficiatur? Respondeo, affici: quia licet iussu Domini legat, reuera tamen legit scienter librum hæretici hominis, hæreses continentem, vel de religione tractantem. *Sed quæres*: an Dominus eam lectionem iubens, eiusmodi excommunicationem afficiatur cum ipse non legat? Respondeo, affici, quia etsi non per se ipsum legat; legit tamen per famulum suum, cuius opera, & ministerio vitur in eius libri lectione. Quare non contrahit excommunicationem ex eo, quod legentem famulum audiat; sed quia per famulum legat, quod perinde est omnino, ac si ipse met legeret. Quo fit, ut cæteri, qui solum audiunt, nec tamen librum eiusmodi legendum curarunt, in excommunicationem minimè labantur, quia nec retinent librum apud se, nec per se, nec per alium quempiam legunt.

Quinto Queritur, An qui legunt libros Hæreticorum, hæreses non continentes, & nihil ex instituto de Fide, & religione tractantes, sed de rebus alijs, excommunicationi subijciantur? Respondeo, eos subijci, quia in vniuersum interdictum est, legere libros Hæreticorum. Sed est animaduertendum, eos, qui legerint, vel habuerint libros hæreticorum, hæreses non continentes, & nihil ex instituto tractantes de fide, & religione, incidere in excommunicationem latam, in Indice librorum prohibitorum, cuius absolutio Romano Pontifici referuata non est: non autem incurrere in excommunicationem constitutam in ea, quæ dicitur Bulla in cœna Domini: quoniam hæc excommunicatio solum fertur in eos, qui

scienter legerint, vel habuerint, vel impresserint libros hæreticorum, hæreses continentes, vel de fide, & religione tractantes.

Sexto Queritur, An Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, ac similibus in locis, legunt libros hæreticorum continentes hæreses, vel de religione tractantes, incidunt in prædictam excommunicationem, si legerint studio cognoscendi, & confutandi eorum errores? Respondeo, hanc quaestionem ex alia pendere, An scilicet in ijs prouincijs locum, & vim habeat constitutio Pontificia, quæ Bulla in Cœna Domini vocatur. Nam, ut aliàs dicemus, aliquorum est opinio, eam constitutionem non esse ubique receptam: quia nec ubique, inquit, promulgatur, nec vsu, aut iure communi confirmata est. *Quidquid fit de hac opinione, de qua suo loco tractabo*, saltem ubique eiusmodi constitutio recepta vsu est, dubitare fas non est, quin prædicta excommunicatione afficiantur: quoniam eos studium religionis contra Hæreticos defendendæ non excusat.

Septimo Queritur, An iure Episcopus facultatem legendi libros hæreticorum, hæreses eorumdem continentes, vel de religione tractantes, concedere queat ijs in locis, & prouincijs, in quibus Catholici cum hæreticis promiscuè commorantur, & viuunt. Respondeo, eam Episcopus dare non posse: quoniam eiusmodi sanctio Romani Pontificis auctoritate est constituta. Inferior autem potestatem, & ius non habet in ijs, quæ superioris lege, aut decreto sancita sunt.

Octaudo Queritur, An qui scienter legerit libros Græcorum, Armenorum, & aliorum huiusmodi, qui Græcicos ritus, non Latinos continent, excommunicatione teneantur? Respondeo, minimè: quoniam ij ritus, non sunt hæretici: nec Græcorum, & Armenorum cæmonias, & ritus Latine Ecclesiæ mos, & vsus, pro Hæreticis habet.

Nono Queritur, An iussu ab Ecclesia libri Hæreticorum damnentur? Respondeo: Non solum Catholicos, & Christianos, sed etiam Ethnicos, libros noxios, & contra receptam religionem editos damnare consueuisset. Plato enim Poëtarum libros, qui de Dijs suis parum modestè, & religiosè loqui videbantur, repudiandos, exterminandos, & explodendos censuit. Athenienses Protogoræ libros, in quibus, de Dijs malè sentiebat, eo quod dubitauerit, vtrum Dij essent, in foro combusserunt, & præconis voce à singulis, qui illos haberent, sibi exhiberi mandarunt. Augustus Cæsar supra duo millia fatidicorum librorum Græcè, & Latine conscripta concremauit: & Liuius lib. 39. *quosies*, inquit, hoc patrum auro-rumque ætate negotium est Magistratibus datum, ut vaticinos libros conquirerent, atque comburerent? Idem lib. 25. tradit edixisse senatum, ut quicumque libros vaticinos, precatiónesue, aut artem nouo, & externo ritu sacrificandi conscriptam, haberet, eos libros omnes, literasque ad se deferret. Rex quoque Antiochus Epiphaneus, ratus veteris Testamenti libros esse noxios sue superstitioni, & impietati, edicto oēs ab eorum lectione prohibuit: eiusque milites inuentos libros igni combusserunt. Pari impietate, & errore mentis Diocletianus imbutus, nefarijs edictis imperauit, ut sacra omnia vo-

Plato li. 7.  
de legib.  
Cic. li. 1. de  
Nat. Deo-  
rum.  
Lactan. li.  
De Ira Dei  
cap. 9.  
Sue. in Au-  
gusto. c. 31.  
Dion. Cas-  
sius. li. 54.

Lib. 1. Ma-  
cha. ca. 1.

Enseb. li. 8.  
Eccel. hist.  
c. 2. & Ni-  
cepho. li. 7.  
cap. 3.



lumina igni mandarentur. In sexta Synodo Generali historias ab Hæreticis confictas, igni tradendas curarunt Patres. Cōstantinus Magnus Arrij libros, Theodosius, & Valentinianus libros Nestorij, Valentinianus, & Marcianus libros Eutychetis, & Apollinaris, Honorius, & Theodosius libros Mathematicos, hoc est, Magicos; Arcadius, Honorius, & Iustinianus libros oēs Hæreticorum publicè comburi iusserunt. hæc constant ex l. damnato. l. quicumq; c. de heret. l. vlt. tit. 16. lib. 9. & l. 24. tit. 4. lib. 16. c. Theodosij. Syno. 5. generali. action. 1. Socrat. lib. 2. hist. triparii. a. Niceph. lib. hist. Eccles. 8. c. 25. lib. 17. c. 9. Et vt auctor est Grego. Nazian. orat. 19. S. Cyprianus libros Magicos palam exussit; Gelasius, Symmachus, & Hormisdas Manichæorum libros flammis dederunt. Teste item Athanasio in lib. de incarnat. verbi, ad Christianā religionē conuersi impiæ vanitatis libros incendijs tradebāt.

In his, primi illi Christiani fuerunt de quibus B. Lucas At. 15. scribens: Multi, inquit, ex eis, qui fuerāt curiosi sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis preijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.

Decimò Quæritur, An qui apud se libros Hæreticorum, continentes hæreses, aut de religione tractantes, aut de hæresi suspectos, & proinde damnatos retinuerint, hæretici censeantur, si eo in crimine fuerint deprehensi? Archidiaconus in c. sanè profertur 24. q. 2. & in c. filij, de heret. in 6. & Ioan. Andreas in eod. cap. filij. Roman. singulari 326. Hippolytus Marfilij Consil. 52. nu. 34. Callaneus ad Consuetudines Burgundia Rub. 1. & Carrer. de heret. nu. 125. respondent, sufficere ad condemnandum eum, vt hæreticum, si libri Hæreticorum damnati apud aliquem reperiantur. Verùm ex cap. literas De Præsumption. falsam esse eorum sententiam facile licet colligere: quoniam præsumptiones, indicia, & coniecturæ non faciunt criminofum aliquem: & ita contra eos sentit in Director. inquisit. par. 2. cap. 4. commenta. 3. Scholialtes, & Simanca. de cathol. institut. cap. 38. num. 23. Sed quid, si apud Titium liber hæreticus reperitur ab eodem compositus, erit ne propterea iure, vt hæreticus cōdemnandus? Respondeo, hoc dupliciter posse contingere: vno modo, si huiusmodi liber hæresim contineat, quam Titius nequaquam ex instituto probat, aut docet; sed obiter aliud scribens, tradit; & tunc iure nequit, vt hæreticus condemnari; sed tanquam per ignorantiam in hæresim lapsus: Altero modo, si liber sit hæresi infectus, quam Titius ex instituto comprobat scienter contra Ecclesiam: & tunc, tanquam hæreticus, Titius potest iure damnari, tametsi in eo libro profiteatur, se credere, quicquid docet Ecclesia, & paratum se esse ad emendandum, & corrigendum errorem. Quoniam, vt quis sit hæreticus, satis est, si scienter ille aliqua contra sensum Ecclesiæ doceat; licet quando per ignorantiam errat in Fide, hæreticus non sit, modo pertinaciter suæ sententiæ non inhærescat. **QVÆRES** deinde, an qui libros Hæreticorum damnatos penes se retinet, suspecti de hæresi merito cenferi debeant? Respondeo, eos homines pro talibus habendos, atque puniendos: hoc enim perspicue tradit, & testatur Pontificiæ Constitutiones.

Vndecimò Quæritur, An quilibet possit pro-

pria auctoritate libros Hæreticorum omnino prohibitos, & damnatos igni comburi, vbi ad ipsum illi quomodocumque perueniunt? Quorsum est opinio, id iure facere vnumquemque; fidelium posse. Campegius apud Zanchinū, de heret. l. 7. ait, tutius erit libros hæreticos, aut quomodo libet ob hæresim suspectos inquisitoribus tradere. Mihi tamen videtur, eiusmodi libros esse Fidei Inquisitoribus tradendos, neque sufficere, si quisque eos per seipsum igni comburat. Extat enim constitutio Pontificia Iulij III. quæ incipit: Cum meditatio, vbi post alia ita decernitur: Qui vero tales libros habuerint, eos configurare debeant realiter, & cum effectū Inquisitoribus ciuiatim, in quibus eiusmodi libri extiterint, alioqui tanquam hæretici possunt publicari. Ita ibi, hoc locum habet, quum quis id facere potest absque magno, & graui suo detrimento, siue periculo.

Duodecimò Quæritur, An sacri Inquisitores dare possint facultatem libros Hæreticorum legendi? Respondeo, si libri, aut hæreses contineant, aut de Fide, & religione tractent, non posse: quia per pontificias constitutiones nequaquam eis committitur eiusmodi potestas. Quorundam tamen Hæreticorum libri, qui nihil profus de fide, & religione ex instituto disserunt, nec hæreses continent, aut qui conscripti sunt ab ipsis, dum Catholici erant rectiusque de Fide sentiebant, aut postquam respuerunt ad Ecclesiæ gremium reuersi, examinati diligenter, & approbati ab Inquisitoribus, iure permittuntur: iuxta ea, quæ præscribuntur in secunda Regula Indicis libro-um prohibitorum auctoritate Concilij Tridentini editi, & à Pio I V. Confirmati, & nunc recens auctoritate, & iussu Sanctissimi Domini nostri Clementis VII. renouati: solent tamen, & debent Inquisitores, cū liber hæreticus ad ipsos defertur interrogare deferentem, vnde illum habuerit, vnde acceperit, vt sciant, nū eo libro forsitan malè sit vsus, num ab aliquo acceperit, qui prodi, & acculari debeat.

Decimotertiò Quæritur, An Episcopi, & his maiores alij Antistes propria auctoritate possint libros Hæreticorum, hæreses eorundem continentes, vel de religione tractantes siue libros hæreticos, seu de hæresi suspectos legere, & habere. Respondeo, minimè. Extat enim pontificia Constitutio Iulij III. quæ incipit: Cum meditatio, quæ habetur in Directorio Inquisitorum inter litteras Apostolicas diuersorum Romanorum Pontificum, & alia Pauli I V. incipiens: Cum in sacrorum, & tertia alia Pij I V. cuius initium est: Cum pro maiore, quam habet Director. Inquisitorum loco tractato, in quibus constitutionibus abrogant prædicti Pontifices omnes facultates legendi, vel habendi libros Lutheranos, aut alios hæreticos, vel de hæresi suspectos, à se, vel à suis antecessoribus, siue à Sede Apostolica, siue ab eius legatis etiam à latere missis, aut à maiori Pœnitentiario datas quibusuis personis, tam clericis secularibus, aut regularibus, quàm laicis cuiuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis sint, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, aut his maiores fuerint, & etiam si quauis alia singulari dignitate præfulgeant, exceptis Inquisitoribus, & Commissarijs, super hæretica prauitate, à Sede



Apostolica deputatis, dum eo officio commisso fungentur. Sic ibi.

Decimoquarto **Quæritur**, An libri Hæreticorum, qui de religione, non tractant, iure dantur, & prohibeantur? Ratio quæstionis est, quia sæpe ad alia plurima sunt vsui, cum de rebus ad vitam humanam, & rerum cognitionem pertinentibus conscripti sint. **Respondeo**, merito esse prohibitos: quoniam id auctores ipsi promerentur. Quare communis est auctorum sententia in c. *Fraternitatis*, de Hæreticis, quod est desumptum ex Gregorio lib. 7. *Registri*, Epist. 47. damnato auctore tanquam hæretico, libros quoque eius, & scripta damnata censeri. Recte etiam Gelasius in c. *Sancta Romana Ecclesia*, dist. 15. c. *Ceteram*, ait, que ab Hæreticis conscripta, vel prædicta sunt, nullatenus rescripti Catholice, & Apostolica Ecclesie Romana. Sic ille. Unde in hisce libris retinendis, aut legendis seruandæ sunt Regulæ Indicis librorum prohibitorum in Concilio Tridentino editi, iussu Pij IV. vna cum obseruationibus, & declarationibus additis in Indice nouissimè edito iussu S. D. N. Clementis VII.

In Regula secunda statuitur in hunc modum: *Hæresiarum libri, tam eorum qui hæreses inuenerunt, vel susceperunt, quam qui Hæreticorum capita ducere sunt, vel fuerunt, cuiusque nominis, tituli, aut argumenti existat, omnino prohibentur. Aliorum Hæreticorum libri, qui de religione ex professo tractant, omnino damnantur, qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis, iussu Episcoporum, & Inquisitionum examinati, & approbati permittuntur. Libri etiam Catholici conscripti tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiam gremium redierunt, approbati à Facultate Theologica alicuius vniuersitatis Catholice, vel ab Inquisitore Generali permitti poterunt. Hæc ibi.*

Regula tertia sic habet: *Versiones scripturarum, etiam Ecclesiasticarum, que hæcenus editæ sunt, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis, & Pij, iudicio Episcopi concedi poterunt; modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgata editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu vitantur. Versiones verò noui Testamenti ab auctoribus hæreticis, aut de hæresi suspectis factæ, nemini concedantur. Si que verò annotationes cum huiusmodi, que permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumscribuntur, expunctis locis suspectis à facultate Theologica alicuius vniuersitatis Catholice, aut Inquisitione Generali, permitti eiisdem poterunt, quibus, & versiones, quibus conditionibus totum Bibliorum volumus, quod vulgè dicitur, Biblia Vatabli, aut partes eius concedi viris Pij, & doctis poterunt. Ex Biblijs verò Isidorici Clerij Braxiani Prologus, & Prolegomena præcidantur. Eius verò textum, nec textum vulgata editionis esse arbitretur. Sed in Indice nouissimè edito iussu S. D. N. Clementis VIII. sub littera B. in appêdice sic habetur, Biblia hæreticorum opera impressa, vel eorundem annotationibus, argumentis, Summarijs, Scholjs, & Indicibus refera omnino prohibentur, donec expurgentur.*

In Regula quinta, sic habetur: *Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera aliquando prodent, in quibus nullatenus pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt. Cuiusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Aposibegmata, similitudines, Indices, & huiusmodi, si que habeant admixta, que expurgatione indigeant, illis Episcopi, & Inquisitoris, vna cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis permittantur.*

Regula octaua sic habet: *Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obicit aliqua infera sunt, que ad hæresim seu impietatem, seu diuinationem, siue superstitionem spectant, à Catholicis Theologis, Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. Idem iudicium fit de Prologis, Summarijs, Annotationibus, que à damnatis auctoribus, libris non damnatis appositæ sunt: sed post hæc non nisi emendati excendantur. Itè, alia obseruanda sunt in his, quæ dixi, quæ continentur in Indice nouissimè edito iussu S. D. N. Clementis VIII.*

Decimoquinto **Quæritur**, An libri Hebræorum, qui post Christum natum conscripti sunt, & Rabini, qui vulgè appellantur, sint prohibiti? Quæstionem mouet, quia Rabbinorum commentarij multa impiè, & nefariè contra Christum, & Christianam religionem continent. **Respondeo**, in primis de libris Rabbinorum, in quibus nihil aliud tractatur nisi id, quod attinet ad scripturæ explanationem: hoc est, qui nihil de religione tractat, sed solum sunt Commentarij in Scripturæ Sacræ libros, quibus litteralis Sanctarum Scripturarum sensus, iuxta Hebræici sermonis, & linguæ leges, & regulas explicatur, iure aliquo Pontificio Canonico eos non esse prohibitos, siue sint hebræicè conscripti, siue in Latinum sermonem cõuersi, permittuntur etenim, quoniam conducunt ad pleniorum, & linguæ, & artis Hebræicæ cognitionem: eiusmodi sunt Commentarij in sacros libros Rab. Davidis Kimchi, Rab. Salomonis Larchi, Rab. Abraham Auenesæ, Rab. Leui Gerfonis, & alij plerique Commentarij, quos hic nominare non est necesse. Similiter etiam libri Arabum Philosophorum Aristotelem interpretantium, aut de Philosophia, aut de Medicina tractantium, & nihil de impia Saracenorum secta contentium; minime interditi sunt, siue Arabicè scripti, siue in linguam Latinam conuersi, qualia sunt opera Auerois, Auicennæ, Algazelis, Almazaris, Auicembrom, Auenpace, Alpharabij, & his similibus. Verum in Indice iussu Pij I. V. edito sub littera T. habetur. *Thalmod Hebræorum: eiusque glossæ, annotationes, expositionesque omnes prohibentur: si tamen prodierint, sine nomine Thalmod, & sine iniurij, & calumnijs in religionem Christianam, tolerabuntur. At in Indice edito nouissimè iussu S. D. N. Clementis VIII. in obseruatione circa 9. regulam legimus: Sanctissimum Dominum Nostrum, Dominum Clementem Octauum, specialiter, & expressè statuisse, & voluisse, ut huiusmodi impij Thalmodici, Cabalistici, alijque nefarij Hebræor. libri omnino damnati, & prohibiti manerent, & conseantur, ita etiam sub illis conditionibus non permittantur, aut tolerentur. Sic ibi. Eodem item vtroque Indice sub littera A. habetur. *Alcoranus Mahometis Basileæ impressus, & similes cum Scholjs, & impijs Annotationibus, & Præfationibus prohibentur. In vulgari item lingua non nisi Inquisitionum concessu haberi potest.**

Decimosexto **Quæritur**, An Origenis, & Tertulliani libri sint prohibiti? Causa dubitationis est, quia Tertullianus in hæresim lapsus est; Origenes à concilijs Generalibus, & Romanis Pontificibus, tanquam hæreticus damnatur. **Respondeo**, olim apud Patres magnam fuisse cõtrouersiam, an Origenis libri legi possent; quibusdam negantibus, alijs verò affirmantibus. Gelasius in cap. *Sancta Romana Ecclesia* Distinct. 15. habet, hæc verba: *Origenis illa opuscula, que vir beatus, Hieronymus non*



repudiata, legenda suscipimus: Reliqua autem omnia, cum sua auctore dicimus esse reuocanda. Hæc ibi. Talia opuscula, quorum lectio permittitur, sunt, quæ passim vltu recepta circumferuntur.

De Tertulliano verò fatemur, eum quidem in hæresim prolapsum, sed eius tamè opera permitti in Ecclesia, vt priuatim legantur, quia Gelasius in eo c. habet. *Opuscula Tertulliani apocrypha*. Obijcies, sufficere, hoc vnum, quod à Gelasio sunt pro apocryphis habita, quia similiter etiam ibidè dicit: *Opuscula Ioviniani apocrypha*. *Opuscula Montani, Priscillæ, & Maximillæ apocrypha*: & *Opuscula Fausti Manichei apocrypha*: sed omnes eiusmodi auctores, hæretici fuerunt, & proinde omnia eorum Opuscula dânat Gelasius, ergo pari ratione scripta Tertulliani. Respondeo, Gelasium eo c. etiam apocrypha censuisse opera Lactantij, & Historiam Eusebij Pamphilli, scripta Clementis Alexandrini, Iulij Africani, Cassiani, & Arnobij: qui tamen omnes Catholici scriptores censentur, cum oēs lapsi fuerint in aliquos errores. Apocrypha igitur opera eo c. latè, & amplè Gelasius accepit, nimirum, vt eo nomine cõprehenduntur tum ea, quorum auctores damnati sunt, tum ea, quorum auctores sunt incerti, quæque certos licet auctores habeant, non tamen publicè in Ecclesia legebantur, sed priuatim, & talia sunt opera Cassiani, Clementis, & aliorum. Opera verò Tertulliani, licet auctor fuerit hæreticus, magna tamen ex parte, sunt Catholicè conscripta, & ideo semper in Ecclesia priuatim legere ea Catholici consueuerunt. **QVÆRES**, quo pacto Gelasius inter apocrypha commemoret quorundam Hæreticorum scripta, cum apocrypha priuatim legerentur à Catholicis, Hæreticorum libri non item? Respondeo: tunc temporis nondum fuisse vsu receptum, vt Catholici à legendis Hæreticorum libris in vniuersum arcerentur, licet consilium salutare passim à multis daretur, vt Catholici ab insana, & impia librorum hæreticorum lectione abstinerent. Vnde longè ante Gelasium Dionysius Alexandrinus, testibus Eusebio libro 7. *Eccles. histor. cap. 6.* & Niceph. lib. 6. cap. 8. & Godofredo, in l. *damnato, c. de hæreticis*. Scriptum reliquit: *Ego tractatus Hæreticorum lego, & traditiones eorum persecutor, etiam si videar ad horam, verbis eorū pollui*. Sed multum mihi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cum quidam ex fratribus, & compresbyteris prohiberent, ne hæreticorum lectione tanquam cœni alicuius foetore polluerer, visio mihi quædam à Deo ostenditur, quæ me confirmauit, & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter proloquens: lege omnia, quæcumque in manus tuas venerint, quia probare singula quæque, & discernere potes: quandoquidem ex initio, hæc tibi causa fuit credendi. Amplexus sum visionem, quia & Apostolicæ sententiæ congruebat dicenti: *Omnia probate: quod bonum est, tenete*. Hæc ille.

Post Gelasium verò frequentiori more receptum est, vt à lectione Hæreticorū Catholici sese continerent. Donec Romani Pontifices, eiusmodi lectionem omninò interdixerunt. Vigentibus enim Ioannis VViclef, & Martini Lutheri, nefarijs dogmatibus, nec sine magno Christiani populi detrimento; Paulus III. edita Constitu-

tionem prohibuit, ne quisquam Hæreticorū libros legeret, irrogata quoque non obtemperantibus excommunicationis poena: quod postea qui successere Pontifices salutare documentum, & exemplum diligenter secuti sunt. Vnde Regula prima Indicis librorū prohibitorum editi, decreto Concilij Tridentini, habet, *Libri omnes quos ante auum millesimum quinquagesimum decimum quintum, aut summi Pontifices, aut concilia Oecumenica damnauerunt, & in hoc Indice, non sunt, eodem modo damnati esse censentur, sicut olim damnati fuerunt*.

**Decimoseptimò Queritur**, An propria Hæreticorum nomina expungi, & deleri debeant ex ijs libris, qui legi permittuntur? Respondeo, vsu esse introductum, vt omninò deleantur, & proinde expungenda sunt: nisi in libris Catholicorū Hæretici nominentur per ignominiam, & contemptum, vt confutentur praua eorum dogmata. Cui vsu eiusmodi congruit maximè, quod literis Plutarchus, & Gellius, tanquã egregiè factum à Lacedæmonijs tradiderunt. Quidam enim pristinae vitæ turpitudine notatus, bonum consiliū, in senatu dedit, quod Lacedæmonij tanquam honestū quidem consilium probauerunt; sed auctorem respuerunt. Vnde consiliū alteri adscripserūt, qui eiusdem fuerat sententia, sed longè melioris vitæ. Quare concludens Gellius: *Sic bona, inquit, sententia mansit, turpis auctor mutatus est*.

**Quæres**, an propria auctoritate expungi, possint, quæ sunt deprauata in ijs libris Hæreticorū, qui legi permittuntur? Respondeo, eos libros nõ permitti, nisi prius sint examinati, & expurgati auctoritate Inquisitorum, & Episcoporum Consilio Catholicorum Theologorum. quod si contigerit, aliquem locum non esse expurgatum, tutius est, vt is liber ad Inquisitores deferatur: aut saltem is locus minimè expurgatus deleatur iuxta legitimè factam expurgationem aliorū librorum, & locorum similium. Porrò in Indice nuper edito iussu. S. D. N. Clementis VIII. quædam habentur tit. *de Correctione librorum*, quæ obseruanda sunt circa correctionem librorum prohibitorum. Item, in eodem Indice tit. *de impresse librorum* §. 7. habetur sic: *Liber auctoris damnati, qui ad prescriptum, Regularum expurgari permittitur, postquam accuratè recognitus, & purgatus, legitime que permisso fuerit, si denuo sit imprimendus, præferat titulo inscriptionis nomen auctoris, cum nota damnationis: vt quamuis quoad aliquam liber recipi, auctor tamè repudiari, intelligatur. In eisdem quoque libri principia, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat: exempli gratia. Bibliotheca à Conrado Gesnero Tigurino, damnato auctore, olim edita, ac prohibita, nunc iussu superiorum expurgata, & permissa. Hæc ibi.*

**Vltimò Queritur**, An Imagines, & statuae hæreticorum, permitti, hoc est, depingi, erigi, & cõstitui queant? Respondeo, nullo modo posse, etiã priuatos intra parietes: alioqui, vt suspectus de hæresi, aut Fautor, aut credens hæreticorum censeretur, qui domi suæ eas haberet. Ad ignominiam verò, contemptum, & infamiam hæreticorū, liceret alicui eorum imagines habere: velut qui Lutheri effugiens apud inferos ardentis, aut ventri indulgentis, & præ immodico cibo, & potu exhalantis animam apud se retineret.

Plato. de  
apocrypho  
na. Gal.  
12. cap.

De



## Caput XVII.

De Imprintibus, Transcribentibus,  
vel Asportantibus aliunde li-  
bros Hæreticorum.

**Q**uæritur in primis, quid sit de Impressoribus, seu Typographis circa libros hæreticorum prohibitos, & dānatos iure constitutum? **R**espondeo, in Concilio Lateranensi, sub Leone X. sess. 10. extare Pontificium decretum, in hunc modum habens: *Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu alios quancunque scripturam tam in Vrbe nostra, quā alijs quibuscunque Ciuitatibus, & Diocæsihus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatii Magistrum; in alijs verò Ciuitatibus, & Diocæsihus, per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiam, libri, seu scripturæ huiusmodi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandam, ad Inquisitorem hæreticæ prauitatis, ciuitatis sine diocæsi, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manū propria, subscriptionem, sub excommunicationis sententia gratis, & sine dilatione imponendam approbentur. Qui autem secus præsumperint, ultra librorum impressorū amissionem, & illorum publicam combustionem, & penam pecuniariam, & anno continuo exercitij impressorū suspensionem, excommunicationis sententia innodati existant. Hæc concilium. Synodus quoq; Tridentina sessione 4. decernit: Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ferretore, nisi prius examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub pena anathematis, & pecunie in concilio nostro Lateranensi constitutæ. Et subiicit concilium: Irregularis fuerint, ultra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare tentauerint, recogniti per eos libros iuxta formam suarū ordinationum. In Synodo quoque Salsburgensi cap. 5. præstatum est, vt quotannis typographi, & bibliopolæ eorum ab ordinarijs locorum deputati, Fidei Catholicæ professionem facere debeant, simulque obedientiam sanctæ sedi Apostolicæ, cum renuntiatione, & abnegatione omnium hæreticorum, polliceri.*

**S**ecundo Quæritur, An non solum libri, sed omnis etiā alia scriptura, cuiusmodi sunt theses ab aliquo publicè defendendæ, carmina, vel poemata aliqua, aut orationes in laudem, & cōmendationem alicuius compositæ, examinari prius, & approbari debeant, quàm typis mandentur? **R**espondeo, debere: nam in Concilio Lateranensi citato dicitur: *Quicumque liber, aut quæcunque alia scriptura, tam in Vrbe, quàm in alijs ciuitatibus.*

**T**ertio Quæritur, An vt liber, vel scriptura alia typis excudatur, sufficiat, si nomē certi collegij, conuentus, vel vniuersitatis apponatur? nā Concilium Tridentinum ait, *sine nomine auctoris non posse libros de rebus sacris excudi.* **R**espondeo, sufficere: nam in iure, Collegium, conuentus, Ciuitas, vel Communitas, per sona ficta censetur: Et sicut cū personis priuatis contractus inimus; sic etiam cū Collegio, vel communitate. Et sicut in priuatos iure potest inquiri, & animaduerti, ita etiam in collegium, & communitatem. Ex quibus colligi

videtur, sufficere, si liber vel scriptura typis mādatur cum nomine certi Collegij alicuius, Conuentus, vel vniuersitatis, siue illius Præfæcti.

**Q**uarto Quæritur, An priuatas orationes, conciones, prælectiones, annotationes, obseruationes de rebus sacris, possit quis tuta conscientia scripto cum alijs cōmunicare, etiam examinata, & probata non fuerint ab ordinario? **E**uere, qui putauerunt, non posse, ijs Cōcilij Tridentini verbis permoti, quod, vbi constituit, ne libri de rebus sacris imprimantur, antequam sint examinati, & approbati, ita subiicit: *Qui autem scripserint, inquit, eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem penis subiaceant, quibus impressores: & qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur.* Hactenus Conciliū. **V**erius tamen quibusdam videtur, quod alij arbitrantur, ea verba Concilij solum intelligi de ijs libris, de quibus sermonē fecerat. statuerat enim libros de rebus sacris absque nomine auctoris non esse typis excudendos, nec vendendos, neque retinendos, neque legendos, nisi prius examinatos & probatos ab ordinario. Et postea subiungit: *Qui autem scripserint eos communicant, vel euulgant, &c. quorum verborum, (vt viri docti, & pij opinantur) sensus est: Qui tales libros transcribunt, & transcriptos cum alijs communicant, aut euulgant, & quæ sequuntur: Aliquando enim libri, vel nondum typis mandati, vel antea excusi, solent de integro transcribi, & impertiri alijs. At verò quidquid sit, vbi que locorum vsus habet, vt orationes, prælectiones, & alia similia, quæ paulò ante reculimus, sine nomine auctoris scripto cū alijs comunicentur.*

**Q**uinto Quæritur, Quibusnam poenis subijciantur, qui libros hæreticorū damnatos transcribunt, & scripto cum alijs comunicant? **R**espondeo, eos esse puniendos tāquam de hæresi suspectos, aut tanquam Hæreticorum Fautores, & vt minimum, tanquam Retinentes vetitos libros Hæreticorum.

**V**ltimo Quæritur, Quibus poenis oporteat afficere eos, qui aliunde asportantes libros Hæreticorum prohibitos in Catholicorum prouincias, & ciuitates occultè inuehunt? **R**espondeo, tanquā suspectos de hæresi, & Fautores Hæreticorū, & tanquam libros Hæreticorū damnatos, apud se retinentes, eos esse habendos atq; puniendos.

## Caput XVIII.

## De Sacris Apostolicis Inquisitoribus.

**I**n primis Quæritur, qua de causa, & quo tempore cœperit institui, & committi Inquisitorum sacrum munus, iurisdicctio, & potestas? **R**espondeo, communem esse sententiam, quam habet Simanc. de Cathol. instit. tit. 25. num. 3. & tit. 34. & Albertin. de agno. assertionib. q. 11. num. 11. Inter alia Episcoporum munera, & functiones, illud esse proprium, & præcipuū, vt greges sibi commissos Fidei dogmata doceat, & eos ab impiorū hominū, & Hæreticorū prauis & venenatis doctrinis diligenter custodiant, atq; tueantur. At, vt testatur Simancas, de Cathol. instit. tit. 25. num. 4. ob varias Episcopalis officij curas, & negocia, quibus sœpenu-



mero implicatur Episcopus, ita ut par eis esse nō possit, vel propter Episcoporum absentiam, vel etiā aliorum ignauiam, vel impericiam, cōmissum est ab Sede Apostolica munus inquirendi, & animaduertendi in Hæreticos, certis quibusdā iudicibus, quos ad id negocij Romani Pontifices deputarunt, quos ob id sacros, & Apostolicos Inquisitores appellamus. Et ex historijs Ecclesiasticis didicimus hoc muneris quadā ex parte primū B. Dominico fuisse mandatū circa annū Domini, millesimū ducentesimo octauū. Is enim suū Episcopum, ex Hispania comitatus, contra Albigeniū, & aliorum perfidorū hominum errores, qui tunc sensim in Ecclesiā ex inferiorum latebris irrepere cōperāt, fidem Christi in Tolosanā partibus egregiē promulgauit: cuius crebris cōcionibus, & Catholica doctrina, vitæq; exemplo mirabili, multi ad Ecclesiæ gremiū, per veram cordis poenitentiam redibant: & ideo, ut salutaribus poenitentis impositis eos redeuntes posset absoluerē, plenam ad id facultatem à Romano Pontifice impetrauit, quod munus postea S. Petrus vitæ sanctitate, doctrina, & martyrio clarus instituti Dominici alumnus, egregiē & intrepidē (quod eius martyrium declarauit) per Longobardiam præstitit. Vnde factum est, ut deinde per Italiam, Hispaniā, Siciliam, & Sardiniam, Inquisitorū munere Dominicani Fratres, qui vitæ moribus, & literarum scientia florebat, functi fuerint: quod etiamnum maiore ex parte per Italiam exequuntur, & obeunt. In Tuscia enim auctoritate Romani Pontificis, Franciscanæ familiæ fratribus, hæc prouincia demandata est. In Hispania verò tota, Ferdinandus Aragoniæ, & Castellæ rex Catholicus eius nominis quintus, circa annum Domini millesimum quadringentesimum octogesimum quartum, aut sextum, postulauit, ut Inquisitorum munere sese Dominicani Fratres abdicarent; ac ita Romani Pontificis auctoritate commissum est clericis secularibus Canonum, & legum peritis. Quare iussu Regio, & Pontificio concessu, demandata est cura cōstituendi Sacræ Inquisitionis officium Illustrissimo Cardinali Mendozio: qui adhibito multorum doctorum hominum consilio leges composuit, ordinem præscripsit, quem singuli Inquisitores in Hispania obseruare debent: quem seruāt etiamnum ij Inquisitores, qui ad Siciliam, & Sardiniam, & Indiam, Hispaniarū Regi subiectas insulas, & prouincias destinantur.

Secundū Queritur, Quinam sint iure cōmuni Iudices ordinarij, qui de Hæresi cognoscere, & in Hæreticos inquirere, & animaduertere queant? Respondeo, id muneris iure communi Episcopis conuenire: nam, eo ipso, quod Episcopi sunt, salutaria Dominico gregi sibi cōmissio ministrare pabula debent, lupos a caulis ouium arcerē, extirpare hæreses, Hæreticos conuincere, denique omne bonum Christiani gregis, ac populi promouere. Vnde iure canonico bis in anno concilia Episcopalia in Ecclesia cogi, & celebrari deberent, ut inter se inuicem Episcopi dogmata pietatis conferrent. Et in Concil. Lateranens. sub Innocen. III. finierunt Patres: *si quis Episcopus super expurgando de cap. tertio de sua diocesi hæretice prauitatis sermone negligens fuerit, cum id certis iudicij apparuerit, Episcopali munere priuetur: & loco ipsius alter*

*substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confutare prauitatem. Quæ longè ante sancita fuerant in Concil. Mileuit. cano. 25. & concil. Tolosan. can. 2.*

Crimen igitur Hæresis est Ecclesiasticum, id est, tale, quod non nisi Ecclesiastici præfecti cognoscere queant; & in quod nullus nisi Ecclesiasticus Iudex possit inquirere. olim itaq; iure communi Canonico Inquisitorum munus continebat solis Episcopis, qui in omnes Hæreticos non exemptos, tanquā ordinarij iudices inquirebant; in exemptos verò, tanquam iudices à Romano Pontifice delegati: quorum munus hodie quoque præstant in ijs prouincijs, in quibus non sunt Inquisitores Apostolici, speciali auctoritate Romani Pontificis constituti, ut in Gallia, Germania, Polonia: ubi verò locorum Inquisitores Apostolicos Romani Pontificis auctoritas creauit, non in vniuersum Episcoporum ordinaria iurisdicção est abrogata: quia vtrique possunt simul, aut seorsim de hæresi cognoscere. Nam Clem. 1. §. *propter quod, de hæret.* quilibet eorum sine altero, potest hæreticum citare, capere, in carcerem mittere, manicis ferreis, vel compedibus ligare: & subiugitur ibidem. *Duro tamen iradere carceri sine arto, qui magis ad poenam quam ad custodiam videatur: vel seruitis exponere, vel ad sententiam procedere, Episcopus sine Inquisitore, aut inquisitor sine Episcopo Diocesano, aut eius officiali, vel Episcopali sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra cōsiderum spatium, postquam se inuicem requisierint, non valebit. Et si secus presumpsum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure. Sic ibi: & sic Imola, Cardina. Bonifa. tit. Siman. de Cathol. Instit. tit. 34. nu. 38. Sed cum seorsim in Hæreticos inquirent, debent secū iudicij acta communicare, & per vtroque simul sententia proferenda est, siue innocentes absoluant, siue poenitentes ad Ecclesiā vitatē admittant, siue contumaces condemnent. Clem. 1. §. 1. de hæret. c. 2. commissi, §. priuandi. de hæret. in sexto. In Hispania teste Simanca de Cathol. Instit. tit. 25. nu. 4. Cum Episcopi & inquisitores non conueniunt, tota causa deferretur ad Senatum inquisitionis. Quod si Senatores in pronuncianda sententia secum minimè consentiant, tota causa, ut testatur Siman. de Cathol. Instit. 35. nu. 4. ad Romanum Pontificē deuoluitur.*

Tertio Queritur, Cuius cōditionis Inquisitor Apostolicus esse debeat, an Theologus, an verò potius Iuris Pontificij, & Canonici peritus? Sunt, qui sentiant Theologos ad id muneris esse eligendos: quoniam Theologi est Fidei dogmata nota habere, & per spectā, hæreticos oppugnare, conuincere, hæreses discernere, & confutare: ita Canon. lib. 8. c. 7. de loc. Theolog. Contra. Brunus de hæret. lib. 4. cap. 1. Alij verò censent, iuris Pontificij consultos creati oportere: quia ius canonicum probe callent, & ea scientia præditi sunt, qua possunt in causis, & litibus iuxta leges, Canones, & iura pronunciare sententiam, hoc sentit Simanca de Cathol. Instit. tit. 41. num. 3. In Italia quidem, maiori ex parte Inquisitores, Theologi constituantur, in Hispania verò, & cæteris prouincijs Hispaniæ subiectis, Iuris canonici consulti. Et certè ob lites, & controuersias dirimendas apti magis, & idonei videntur esse Iuris Pontificij periti. At verò ad hæreses, ac cætera dogmata discernenda, in quibus inest aliquid periculi, temeritatis, vel

offen-



offensionis, impietatis, aptiores multo videntur esse Theologi: quare mutua utriusque indigent opera, Theologi quidem Iuriconsultis, propter litium, & causarum notitiam, & scientiam: Iuriconsulti verò, Theologorum consilio, ad inter-noscendas hæreses. Vtrum autem horum in Inquisitore præponderet alteri, non est facile iudicare. **Mihi** certè, quamuis aliqui Theologo, videntur esse maximi ponderis litium, & causarum cognitio, quæ Iuris intelligentiam, & doctrinam requirit, dummodo tamen Theologorum consilium adhibeatur, ad errores, & suspecta de hæresi dogmata iudicanda.

**Quarò** **Quæritur**, quotiæ ætatis annum agere oporteat Apostolicum Inquisitorem? **Respondeo**, eum debere annu quadragesimū attingisse. *Clem. Nolemes, de Hæreticis*, ubi dicitur. *Statim nullis ex nūc, nisi qui quadragesimū ætatis annū attingerint, officium Inquisitionis committit.* **QVAERES**, cur in Episcopo, qui iure cōmuni est Inquisitor ordinarius, solū annus trigessimus requiratur, *c. Cam in cunctis, §. 1. de Elect.* in Inquisitore aut, qui est delegatus, quadragesimus? **Resp.** *Panormitanus in c. Cum in cunctis nu. 6. de Elect. dicens: Id forte propterea contingere, quia promoti in Episcopos, transeunt cum magna inquisitione: nam recipiunt testes, & discutitur prius promotio in Consistorio Papæ, cum Collegio Cardinalium. Item, quia promotus ad Episcopalem dignitatem, creditur, & habetur ex omni parte idoneus: sed officium Inquisitionis, cum tanta indagazione committi non solet, & ideo Canonis, & iura voluerunt, ut sit ætate maior.* **Hæc ille.** **Glossa** verò respondet, hoc esse de arbitrarijs, quorū rationem reddere non cogimur, ut ait Iuriconsultus, *l. Non omnium, ff. de legibus.* Verūm non inepte Panormitanus respondit. **At** in Hispania teste **Simanc.** *de Cathol. Instit. 34. nu. 12.* auctoritate Romani Pontificis cōcessum est, ut possint eligi Inquisitores, si trigessimū ætatis annum attingerint. **QVAERES**, deinde, quotum ætatis annum debeat attingere Cōmissarius, siue Vicarius Inquisitoris? **Ioannes Andreas**, cum **Glossa** in **Clemente**, *Nolemes*, ait, debere eum ætatis annum quadragesimū agere, siquidem hanc ætatē ius in ipso Inquisitore depolcit: **Cæterum** hæc cōtrouersia, ut habetur in **Direct.** *Inquisit. p. 3. q. 16. Commun. 65.* hodie sublata est per **Rescriptum Clementis VII.** quod incipit: *cū sicut:* ubi habetur: *Decernimus insuper, ut vestros Vicarios, siue Commissarios instituere possitis; viros vestra sententia providos, aptos, & idoneos; dummodo trigessimū ætatis annum attingerint.*

**Quarò** **Quæritur**, A quonā Inquisitor eligi, & creari debeat, & A quonam accipiat potestatem, & iurisdictionem? **Respondeo**, certò constare, eā accipere Inquisitorem à Romano Pontifice, quia ab eo ad id munus, & officium obeundū specialiter deputatur. **At** verò Inquisitores aliquādo instituntur proximè à Romano Pontifice, vel viuz vocis oraculo, vel literis Apostolicis conferri: **Aliquando** verò, ut dicitur in **Direct.** *Inquisit. p. 3. q. 3.* committitur Cardinali, vel Apostolico legato, ut Inquisitores constituat. **Qlim** tamen in Italia cōmittebatur Magistro, & Prioribus Prouincialibus Instituti Dominici: **Generali** ac **Ministris** Prouincialibus familiae Franciscanae, ut in Prouincijs, quibus præfunt, ex sui Instituti fratribus Inquisitores eligere, & instituere possent:

ut constat ex Pontificijs constitutionibus: vna Innocentij I V. quæ incipit: *Licet ex omnibus*: altera Alexandri I V. cuius initium est: *Olim præfatiens.* **Et** hæc quidem ad Dominicanos pertinent: **Ad Franciscanos** verò, alia Clementis IV. sic incipiens: *Licet ex omnibus*, & alia Alexandri I V. quæ habet initium similiter, *Licet ex omnibus*, quæ citatur in **Direct.** *Inquisit. p. 3. q. 3. Cōmen. 52.* & ibi subiungitur: *Hodie in tota Italia Apostolici inquisitores non eliguntur à præfatis ordinum prædicatorum, sed à Reuerendissimis Cardinalibus; Inquisitoribus Generalibus, in vniuersa Republica Christiana, qui diligenti inuestigatione facta, eos eligunt.* **Sic** ibi: **At** verò in Hispanijs auctoritate Romani Pontificis creatur Inquisitor Generalis, siue **Præfatus** Inquisitionis, ut passim vocatur, quem Rex nominat, siue eligit, & Pontifex approbat, & confirmat, eique plenissimam tribuit potestatem inquirendi in omnes Hæreticos. Eius verò munus est Inquisitores, & omnes alios ministros eligere, Visitatores ad Inquisitorū prouincias mittere: cum pœnitentibus, & eorum filijs non nunquā beneficio dispensationis uti, & de rebus grauioribus deliberare: **Hæc** omnia **Simancas.** *de Cathol. Instit. tit. 34. nu. 6.* **Auctoritate** item Romani Pontificis Rex Catholicus Ferdinandus V. supremū Senatū totius Generalis Inquisitionis constituit, cuius cōsiliarij, ac Senatores ab Inquisitore Generali nominantur, & Regi offeruntur, & ab ipso Hispaniæ Rege eliguntur, seu confirmantur, penes quos est summa iurisdictione, & potestas; quia illi videlicet causas appellationū excutiunt, Inquisitorum dissidia, & lites componunt, animaduertunt in ministrorum delicta, & crimina: vñ cum Inquisitore Generali de arduis Inquisitionis negocijs consultant. **Simanc.** *loco citato. nu. 7.*

**Sextò** **Quæritur**, An Inquisitorum auctoritas sit ordinaria, an delegata? quod perinde est, ac si **quæritur**, An Inquisitor sit Iudex ordinarius, an verò delegatus? **Archidiaconus** in *cap. Ne aliqui, de Hæret. in sexto*, ad finem ait, Inquisitores esse Iudices ordinarios. quod probat; quia suas vices Vicarijs committunt, & mandant, nec eorum munus officium, & iurisdictione finitur obitu Romani Pontificis, qui ipsos instituit; & quia constituuntur à Principe, nimirum Romano Pontifice ad vniuersitatem causarum. **At** **Io. Andr. Gemin.** & **cæteri** in *c. Ne aliqui, de Hæret. in 6. Lapus. Allegat. 32. Federi. consil. 145. Abbas in ca. causam matrimonij. nu. 7. de offi. deleg. & c. vlt. de sentent. & re iudic. cōmuni consensu docent, Inquisitores esse Iudices delegatos. Hanc esse cōmunem sententiam, testantur **Siluester** in *sum. hæresis. 2. q. 1. Alciat. in Rub. de offi. ord. nu. 19. Simanc. de Cathol. Instit. tit. 34. num. 13.* **Quam** & ipsa **Ratio** confirmat: nam iudex ordinarius is est, qui ad vniuersitatem causarum constituitur; at Inquisitores dantur solūm ad specialem hæresis causam cognoscendam, & iudicandam. Possunt quidem Inquisitores in omnes prolapios in hæresim inquirere: non tamen de omnibus delictis præter hæresim, & ea, quæ ad hæresim reuocantur, cognoscere: nec de omnibus causis, præter eas, quæ ad Fidem pertinent, iudicare. **Præterea**, in *c. Ne aliqui, de Hæreticis, in sexto*, satis dilucidè officium Inquisitionis dicitur ab Apostolica sede cōmissum. **Negari** tamen non potest, quin aliquid, quod est Iudicium ordinarium propriū, Inqui-*



fitoribus cōueniat: quoniam id ob commune Fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ bonum, ita Pontificum sanctiones, & Iura voluerunt.

Septimò Queritur, An Inquisitoris potestas, & iurisdictionis, Romani Pontificis, qui eam concessit, atque commisit, obitu finiatur? *Respondeo*, minime: quoniam licet sit iurisdictionis delegata, ius tamen Canonicum voluit, ut maneret ob Fidei, & religionis bonum, & utilitatem. Vnde in c. Ne aliqui, de Heret. in sexto dicitur: *Ne aliqui dubitationem sollicitam excitantes, in dubium reuocent, An officium Inquisitionis hereticæ prauitatis sollicitudini vestra, intra certos limites ab Apostolica sede commissos, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commissi, præsenti declaramus edito, ipsum officium post committentis obitum perdurare.* Sic Pontifex. **QVAERES**, an Inquisitoris officium post obitum Romani Pontificis, qui illud concessit, pro tendatur etiã ad negotia, & causas nondum inceptas, & denuo exortas? *Resp. ex eod. c. Ne aliqui*, ad ea etiam protendi, nam in eo, cap. perpicue habetur eiusmodi officium manere, non solum quantum ad negotia, viuente mandatore incepta, sed etiam quantum ad integra, & non incepta, & quod plus est, quantum ad ea, quæ tunc nequaquam emergerant: & utrumque dicitur esse Inquisitoribus datum causa Fidei, & religionis tuendæ. **QVAERES** deinde, an cesset Inquisitoris auctoritas, quando non est simpliciter constitutus, sed cum clausula adiecta: *Ad beneplacitum Romani Pontificis.* Ioan. Andr. in c. Ne aliqui de Heret. in sexto distinguit: aut enim Inquisitor, inquit, est simpliciter constitutus, & eius auctoritas obitu Romani Pontificis non cessat: aut cum clausula. *Ad beneplacitum Romani Pontificis, & tunc obitu Pontificis delegantis, & concedentis finitur, iuxta id, quod traditur in cap. Si grauiore, de re scriptis, in sexto, ubi constitutum est auctoritatem à Romano Pontifice, demandatam alteri cum clausula. Ad beneplacitum Romane, vel Apostolicæ sedis, non finiri morte Pontificis, quia Romana, vel Apostolica sedes non moritur. Cum clausula tamen: Ad beneplacitum Romani Pontificis, morte Pontificis concedentis finiri.* Hæc ille. Sed verius est, quod alij tradiderunt, ut dicitur in Direct. Inquisit. p. 3. q. 7. *Commen. 56.* Inquisitoris demandatam auctoritatem, non finiri morte Pontificis delegantis, quocumque modo is sit constitutus, siue simpliciter, siue ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, siue ad beneplacitum Romani Pontificis: hoc enim ad commune Fidei, & religionis Catholicæ bonum facit, ne casus eueniat, in quo, aut in Hæreticos nequeat inquiri, aut eorum punitio diutius, quã par sit differatur, aut impediat, aut penitus deferatur, ut habetur in Direct. Inquisit. p. 3. q. 7. *Commen. 56.* ubi dicitur, siue ab hoc, siue ab alio inquisitores eligantur, quia semper ab Apostolica sede auctoritatem habent, eorum munus, & potestas, non finitur, & desinit obitu eligentium. Nec obstat auctoritas in c. Si grauiore, de re scriptis, in sexto, quia inquisitorum auctoritas, & potestas semper censetur esse ab Apostolica, & Pontificia auctoritate. Vnde colligitur, falsum esse, quod ait Geminia, in c. Ne aliqui, de heret. in sexto, ubi. 4. morte Pontificis Inquisitorum officium non finiri, quãdò sunt proximè ab ipso Pontifice delecti, & creati: fecus verò esse, quando sunt à Cardinalibus, vel ab alijs electi. Certè nihil refert, ab his, vel à Pontifice deligatur.

Octauò Queritur, An Inquisitoris auctoritas in conquirendis, & puniendis Hæreticis sit ma-

ior, quàm Episcopi? *Respondeo*, distinguendū hic esse: nã quãdò Inquisitor, & Episcopus in aliquos Hæreticos ab Episcopo exemptos inquirunt, auctoritate delegata, uterque est potestate par, quia uterque eã habet à Romano Pontifice demandatã: quando verò Episcopus de Hæresi cognoscit, & in Hæreticū inquirat, auctoritate ordinaria, maior est auctoritas Inquisitoris: quoniam auctoritas à Principe cõmissa, & delegata, est maior quã sit ordinaria, quã habet inferior. *Sanct. 2. de offic. deleg. l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictionis, ubi legitur: Qui mandata iurisdictionem suscepit, propriam nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione viuitur.* Hæc ibi. Vnde si Episcopus, & Inquisitor citent aliquem, ut coram ipsis se listat de Fide, & religione respondurus, citatus, coram utroque se exhibere debet, si diuersa sint in ipsa citatione tempora: quod si eadem fuerint, sistere se debet coram Inquisitore, ut probat Panorm. in c. Significasti, num. 1. & 5. de offic. deleg. & in c. vlt. nu. 10. de consuet. & in c. Si quis contra, n. 2. de foro compet. & in c. Pro illorum, num. 15. de Prebend. hæc omnia colliguntur ex Direct. inquisit. p. 3. q. 5. Ratio verò huius est, quia Delegatus gerit vicem Romani Pontificis in causa sibi speciatim demandata, ergo ei, velut Pontificis locum sustinenti, obtemperandū est, quolibet alio Iudice posthabito. **QVAERES** itidem, an idem iuris sit de Inquisitorum Commissarijs: ita ut si Episcopus, & Commissarius aliquem citet in causa Fidei, & religionis, citatio Commissarij præferri debeat, an verò Episcopi? *Resp. si Commissarius sit ab Inquisitore constitutus, anteferri debet Episcopi: citatio: nam Vicarij non gaudent ea immunitate, auctoritate, & privilegijs, quibus fruuntur ij, quorū sunt Vicarij. Filio, & Vicarius, l. Filio, ff. de legationib. Si verò Commissarius Inquisitoris sit nominatim auctoritate Romani Pontificis creatus, anteponi debet eius citatio: quoniam Vicarij ab vniuersitate, vel Principe instituti, eisdem privilegijs potiuntur, quibus Iudices Ordinarij, l. vlt. c. 7. de dignitatibus, l. 1. Suggerite, c. de officio eius, qui vicem alicuius Iudicis obtrinet: que fuit sententia Bartholi. in l. Suggerite, prædicta, cõmuni aliorum consensu recepta. Sic Abb. c. Sanct. de offic. ordinarij. Alex. in rubri. de officio eius, cui mandata est iurisdictionis. Decius c. Sanct. de offic. ord. Rom. singul. 367. Zabarel. Clem. 1. apposit. 6. de offic. Vicarij. Fel. in rubri. de maioribus, & obed. Bal. in l. Aliquando, ff. de officio Proconsulis. In Hispania verò, cū Episcopi, nec secreti carcerem, qualem iura postulant, nec ministros idoneos ad inquirendum, & animaduertendum in Hæreticos habeant, seruare non possunt ordinem, qui est Inquisitoribus iure præscriptus: & propterea in Hæreticos, vel de hæresi suspectos tantum inquirunt, & cõpendiarium probationem Inquisitoribus secreto mittunt, aut si fontes deprehenderint, ne fugerent, confestim ad Inquisitores deferendos curant, quod si non fecerint, cum ad id iure Pontificis minimè adigantur, Rex scribit ipsis, ut causas ad Inquisitores referant, & fontes ad eosdem remittant, ne iuste ac debite Hæreticorum punitioni via aliquo modo præcludatur: nequit enim Episcopus Inquisitoris semel coepas Fidei, & religionis causas, & negotia impedire, aut quavis occasione præcidere. Hęc omnia Siman. de cub. inff. tit. 25. n. 5.*

Nonò Queritur, An solus Rom. Pontifex possit

Inquisi-



Inquisitorem suo munere, & officio priuare? Respondeo, olim Magistros siue Ministros Generales, & Priores siue Ministros Provinciales auctoritate Apostolica potuisse Inquisitores ex suis ordinibus assumptos ab officio remouere, vt habetur apud Direct. Inquis. p. 3. q. 9. super practica officij Inquisitionis: id enim aperte statutur in priuilegijs instituti Dominici, que habet Emericus in Direct. Inquis. p. 3. q. 9. super practica officij inquis. vbi dicitur: Illi vero ipsius ordinis fratres, qui ad predicandum erant, vel inquirendū contra hereticam prauitatem, seu ad alia huiusmodi negocia sunt, vel fuerant vbicumq; à sede Apostolica deputati, in fili Magister, suiq; successores remouere, ac reuocare, penitus trāsferre, ipsiq; vt supersedeant, intrudere, alioq; substituere, cū expedire viderint, licitè ac liberè valeant: et in eos si contrauerint, censuræ Ecclesiasticæ exerceant. Et quilibet Prior Provincialis, vel eius Vicarius eiusdè ordinis in sua provincia circa fratres ipsius ordinis, quibus ab eadè sede similia cōtingeret in illa cōmitti, facere possit. Hæc ibi. Si **QVAERAS**, an Magister Generalis, & Prior Provincialis solo suo nutu potuerit Inquisitorem ex sua familia instituti ab officio amouere? Resp. non potuisse nisi iustus de causis. **DEINDE** rogabis, quæ iustæ fuerint causæ eius amouendi? Resp. eas ad tria potissimū capita reuocari: nimirū. Si Inquisitor ob viriū imbecillitatem non possit cōmodè suū munus, & officii obire, & exequi, vel quòd morbo laboraret, vel quòd senectute grauaretur, vel quòd esset impetrus. Deinde si in eo negligens esset. Postremò si iniq; & dolosè suum officii faceret. Hodie tamen, vt in Direct. Inquis. habetur, p. 3. q. 9. com. 58. nullæ sunt horū Præiatorū partes. Nam Reuerendiss. Card. Inquis. Generales in vniuersa Republica Christiana, ex causa, re maturius considerata, per Italicam Inquisitores remouent, mutant, ac de vno loco cum expedit in alium transferunt.

**Decimò** Queritur, An Inquisitor possit sibi Vicariū instituere, cui mandet vices suas? Respondeo, id olim cōtrouersum fuisse: sed amplius de ea re dubitari nō potest: nā aperte colligitur ex c. Ne aliqui, de Hære. 8. Inquisitorib. c. 8. Notarij, c. Clementina. Multorum, de Hære. sic. extat etiam, vt legitur in Direct. Inquis. p. 3. q. 13. in Comm. 62. de ea re Pontificia Constitutio Pij II. quæ incipit cum iam dudum, & alia Clementis VII. incipiens cum sciet, vbi habetur: Decernimus insuper, vt vestros Vicarios siue Commissarios instituere valeatis, viros vestra sententiā prouidatos, aptos, & idoneos dummodo ætatis trigessimū annum attingerint: sic ibi. **Obijcies**: Delegatum iudicem non posse alteri suā iurisdictionem mandare, l. Mandatum ff. De officio eius, cui mandata est iurisdic. sed Inquisitor, vt iam ante dixi, habet iurisdictionem delegatam, ergo non potest alteri suas vices committere. Respondeo, Primum, ex c. quæstionum, de officio Iud. deleg. posse Romani Pontificis iudicē delegatum, causæ cognitionem alteri demandare. Deinde, satis esse, si id perspicuè Cōstitutionibus Pontificijs declaratum sit. **QVAERES** etiam, an possit vices suas Inquisitor Vicario plenè demā dare? Resp. ex Direct. Inquis. p. 3. q. 15. c. 16. Comm. 64. posse ei cōmittere, vt denunciatos, siue accusatos, siue suspectos citare queat, testes examinare, cōdemnare reos, etiam relapsos, siue eos, quos suæ heresis nō pœnitet: & tunc plenè ei vices cōmittuntur. Aliquando tamen solū ei iurisdic. tio

demā datur, vt possit citare denunciatos, examinare testes, reos in carcerē detrudere; non tamè, vt sententiā pronuntiet, qua fontes condemnet inconsulto Inquisitore: aut si etiā cōmittitur, vt cōdemnet, non tamè, vt sententiā ferat contra relapsos, aut eos, qui ob suam impietatem, aut peccatum nō dolent. **QVAERES** insuper, an Cōmissarius ab Inquisitore constitutus possit sibi alium Commissarium substituere? Resp. cum omnibus iuris canonici doctoribus, non posse. Glos. in c. super quæst. 6. Porro, verb. transferri de offic. deleg. Glos. in c. cum causam, vet. delegatum, de Appella. Archidia. Ioan. And. Abbas Alex. Albericus, & alij, quos citat Pēna in Direct. Inquis. p. 3. q. 15. Com. 64. quia alioqui esset in infinitū progressus. Item, quia Inquisitor, cū sit delegatus, non potest alteri suas vices delegare, ita, vt ille possit in sui locū aliū subrogare: hoc enim est personæ priuilegiū, quod in alterū non transit, vnā enim cū persona, cuius est, extinguitur, ac desinit. c. Priuilegium, de regu. in sexto.

**Vndecimò** Queritur, An Commissarium ab Inquisitore Dominicano, vel Franciscano institutum, possint officio amouere Dominici, Franciscane Præfecti, qui ipsum Inquisitorē elegerunt, vt olim eligere solebant. Respondeo, minime: quoniam Commissarius instituitur ab Inquisitore, tanquam Romani Pontificis delegato, non autem tanquā à sui Instituti Præfectis vllā iurisdictionem habente: & proinde Inquisitor; nō autem Præfectus ordinis ab officio remouere Cōmissarium potest. **Obijcies**: Qui potest, quod maius est, & quod minus est, potest: sed Religioso um ordinum Præfecti possunt Inquisitorem officio priuare, ergo & Commissarium. Respondeo, in Iure non semper valere Regulam: Qui habet potestatem in id, quod maius est, habere quoque in id, quod est minus, nisi quando minus sub maiore continetur tanquam pars in toto, vel species sub genere.

**Duodecimò** Queritur, In quos iure Inquisitores inquireant, quando fuerint in hæresim prolapsi? Respondeo, eis nō licere in Nuncios, siue Pontificios administratos, quos vocant Officiales Romani Pontificis, inquirere: horum enim causa ad Romanum Pontificem defertur. Director. Inquis. par. 3. q. 25. Nec possunt itē in Episcopos inquirere, c. Inquisitores, de Hære. in sexto. Sunt tamen, qui sentiant posse Episcopum in carcerem mitti ab Inquisitore, si fuerit ob hæresim de fuga suspectus, aut si hæreses verbo docuerit, & multos seduxerit. Sed alij in vniuersum id inficiantur, & aiunt Episcopi causam Rom. Pontifici, duntaxat renunciari debere. Penna in Direct. Inquis. p. 3. q. 27. Comm. 76. **QVAERES**, an Inquisitores possint inquirere in Religiosos hereticos exemptos? Respondeo, hanc quæstionem tractari in Direct. Inquis. par. 3. q. 28. Comm. 77. Constat, vt ibi refertur, olim fuisse diuersas Romanorum Pontificum constitutiones. Alexander enim 4. Anno Domini 1260. constituit, vt Inquisitores in omnes Religiosos hereticos inquirerent. Sed Pius II. Generali Vicario Franciscanæ familiæ concessit, vt ipse in sui Instituti fratres de hæresi suspectos possit inquirere. Innocentius VIII. omnibus Inquisitoribus interdixit, ne in Fratres Franciscanos inquirerent. Sixtus IV. sancit, ne Dominici Inquisitores contra Franciscanos agerent,

nec



nec Franciscani contra Dominicanos. Clemens VII. in Constitutione, quæ incipit: *Cum sicut*, statuit, v. Inquisitores, & eorum Vicarij inquirant in quoslibet Religiosos de hæresi suspectos, nõ obstantibus quibuscunque priuilegijs. Tandem Pius I V. Constitutionem edidit, sub hoc initio: *Pastoris æterni*, vbi decernit, vt Inquisitores possint agere contra quoslibet Religiosos exemptos, hereticos, seu quouis modo de hæresi suspectos, *admodum*, vt ibi dicitur, *à suis superioribus, & Præfectis præueni non fuerint*, ac vt possint eos punire iuxta Canonica instituta, non obstantibus quibuscunque contrarijs Constitutionibus: Sic ibi. *Iuxta hanc Pontificiam Constitutionem*, hodie Inquisitores, in omnes Religiosos, vel ob hæresim, vel ob hæresis suspicionem inquirunt.

**SCISCITABERIS;** Quid si Religionum Præfecti hac in re præueniant Inquisitores? *Respondeo*, satis dilucidè, & apertè in *Constitutione prædicta* haberi, non posse Inquisitores agere, quãdo eos Religionum Præfecti præuenierint, nihilominus tamen Inquisitores in vniuersum inquirunt, siue eos præueniant Religionum Præfecti, siue non. Ait enim, esse quidè hoc Priuilegium Religiosis concessum à Pio I V. ne in ipsos Apostolici Inquisitores inquirant, quando Religionum Præpositi præuenierint Inquisitores: sed hoc Priuilegium Religiosos amisisse, quia eõ nunquã sunt vsi: & priuilegium, si quis eo intra decennium non vtatur, finitur, ac cessat. Item, quia Constitutio illa Pij I V. non videtur esse vsu recepta. Item, siue recepta fuerit, siue secus; sanctæ Inquisitionis stylus, & consuetudo contrarium obseruat: nulli enim Superiores, Religiosos sibi subditos in hac causa iudicant, aut puniunt; sed totam causam ad Inquisitores existimant deferendam. **DEINDE** quæres, an in denunciandis Religiosis hæreticis, aut de hæresi suspectis, aliquis certus ordo seruari debeat, ita vt prius ipsi Religionis Præfecto, hæresis crimen denuncietur, qui deinde causam ad Inquisitores deferat? *Resp.* crimè esse ad Inquisitores, non ad alios deferendũ. Sciendum est, apud aliquos Religionum præscriptum ordinem esse, vt Religiosus ob hæresim, seu hæresis suspicionem aliquã suo Priori denunciât, & Prior Prouinciali, Prouincialis verò Generali, & Generalis Minister Inquisitoribus: refert Penna in *Direct. Inquisit. p. 3. q. 28. commen. 77.* Constitutionibus Fratrum B. Mariæ Iernorũ, in *Rubrica de Prædicatorib.* & in *Rubrica de Visitatorib.* §. 30. statutũ sic esse: *Si qui fratres de Fide suspecti inueniantur, vel libros habeant in Indice prohibitos; Prior conueniatur, Prouincialis, & Prouincialis, Generalis, & Generalis sanctissimo Officio Inquisitionis denunciât.* **Cæterum** vsu receptum est, vt statim crimen ad Inquisitores, non ad alios deferatur: quod obseruandum est, ne Fidei causã differatur, & aliquo modo impediatur.

**Decimotertio** Queritur, An Inquisitores auctoritatè habeant inquirendi ob hæresim, vel hæresis suspicionem in seculares Principes, Comites, Marchiones, Duces, & alios Principes, & Reges? *Respondeo*, de hoc esse Canonico iure constitutũ in *c. vt officii, §. Denique, de Hæret. in 6. vt procedãt contra Hæreticos, cuiuscunq; sint conditionis, dignitatis, vel gradus.* Emericus tamen in *Direct. Inquisit. p. 3. q. 31. ait: Consularem, vt contra Reges, & Rega-*

*les personas publicè non procederent Inquisitores, nisi cõsulato Romano Pontifice, vt cauius, & tuius negotium Fides agatur.* Sic ille. *Cum autè Episcoporum causa, quæ ad Fidem pertinet, ad Romanũ Pontificem, communi iure deferri debeat: pari quoq; ratione videtur eadem Principum causã ad Romanũ Pontificem referenda.* Sed animaduertendum est, Comites, Marchiones, & Duces esse in duplici differentia. Nam alij sunt supremi Principes, qui nullũ in temporalibus superiorè agnoscunt: alij sunt Regibus subiecti, siue qui in temporalibus Superiorè habet. In hos, Inquisitores inquirunt, & animaduertunt, qui supremi Principes nõ sunt, in illos verò non itè, nisi speciali Romani Pontificis mandato, Ioan. Andreas in *c. Inquisitores, de Hæret. in sexto. ait, prædictum c. Inquisitores, quo prohibetur Inquisitores procedere contra Episcopos, prohibere quoque, ne procedant etiã contra laicos, in consilio Romano Pontificis, quoniam, vel magnè sunt persona, & dignitate conspicua, vel tanta est Hæreticorum multitudo, vt si contra eos procederent, aut ingens periculum, aut grauis populo turbatio subsecutura probabiliter crederetur.* Sic ille.

**Decimoquarto** Queritur, An Episcopus habeat ius inquirendi in Inquisitorè hæreticam, vel suspectũ de hæresi: Zanchinus, & alij, quos citat Penna in *Direct. Inquisit. p. 3. commen. 79.* opinantur, eum ius habere, quando crimen est manifestum, id probant ex eo, quòd Episcopus est Iudex ordinarius; Inquisitor verò, delegatus. At verius alij tradiderunt, eum non habere ius: quoniam sicut Inquisitor nequit in Episcopum inquirere ob reuerentiam, quæ Episcopo debetur, ita nec potest Episcopus contra Inquisitorem agere, quoniam auctoritate Romani Pontificis, delegatam habet potestatem, ac proinde auctoritatem Pontificiã dedecet hac actio: ita, Emericus, & alij in *Directo. Inquisit. p. 3. q. 30. & commen. 79. QUÆRES,* an vnus Inquisitor in alium possit inquirere? *Respondeo*, minimè, quia est Romani Pontificis delegat, ac vt paulò ante dixi, Inquisitores nequeunt in nuncios, vel administratos Apostolicæ sedis inquirere, sic Emericus loco citato.

**Decimoquinto** Queritur, An liceat Inquisitoribus inquirere in eos, qui postquam in sua Prouincia deliquerant, ad aliam se contulerunt? *Respondeo*, licere inquirere, hoc enim colligitur ex *c. vt commissi de Hæret. in sexto*, vbi legitur: *Et contra illos, quos in prouincia, in qua vobis Inquisitionis officium est commissum, hæresis crimen consisterit commississimè, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendo.* Idem colligitur ex *c. Cum contumacia, de Hæret. Quo modo autè in absentes inquiratur, exponitur in Concilio Narbonensi c. 19. vbi sic habetur: Si quã verò culpabiles, vel suspecti ad vestram peruenient inquisitionem, presentes nec sint, nec fuerint, & infra competentem terminum eisdem à vobis peremptoriè assignatum, & per Ecclesias publicatum, non curauerint comparere, vel se legitimè excusare, contra eos tanquam contra presentes sine dubio procedatis. Et cap. 20. Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel infra eandem inquisitionis limites deliquerunt: vel domicilium ibi habent, seu habebant, quando Inquisitio capta fuit: vel cum ibi morarentur ratione officij cuiuscunq; publici seu priuati: vel certũ domicilium non habentes, ibidè inuenti, cuius facione à vobis, siue illis per quamcunq; cautionem adstrictis, siue nõ, inquisitionem contra eos facere incõpissis, vel eis purgationem*



ferriat indicij: siquidem contra tales præfentes, vel abfentes potest procedere, ac debetis, nisi forte ratione delicti maioris seu minoris commisi alibi, vel ratione domicilij, vel causa alia de prædictis, Inquisitores alij procedere caperint contra illos, Et enim cū in locis diversis, & per Inquisitores diversis Deo auctore Inquisitio celebretur: utinus, & saluberrima est, ut quisq; culpabilis in quocunq; loco deliquerit, tunc, & illi Inquisitori remaneat obligatus, à quo primo, ex aliqua de causis præscriptis, sine fraude, & sine periculo negotij, & animarum fuerit occupatus. Et c. 21. subijcitur. Ita tamē, ut Inquisitores ceteri quicquid de illo nosse poterint, inquirant nihilominus, & scribant Inquisitoribus illis, quibus idē culpabilis sit adstrictum, sic enim quasi vix vnus paganius, & vincens. Hactenus verba Concilij sunt. Hęc omnia in Direct. Inquis. p. 3. q. 42. & Cōmen. 91.

**Quæres.** An Hæreticus, qui alibi deliquit, præsertim qui prava sua dogmata seminauerit, aut docuerit, possit capi, & puniri ab Inquisitore, in cuius Prouincia nunc cōmoratur? **Respondeo,** regulam esse generalem, Delicta ibi puniri oportere, vbi committuntur, nisi auctor delicti alibi habeat domiciliū. c. vt. de Foro cōpet. & c. 1. De Raptorib. & in l. q. 4. in prouincia, c. vbi de criminib. agi oportet. Nā in quo loco quis ob delictum alios offendit, ibi debet iustas luendo poenas satisfacere. **Hęc tamē** Regula cū in multis alijs deficiat, vt supra quinto lib. dicitur, in Hæresi tamen locum non habet; quia Hæretici vbiq; possunt capi, & in carcerem detrusi puniri, vt est communis omnium sententia Bal. in l. & si excepta, c. de Malef. & Mahemat. Cardin. in Clem. 2. §. denique q. 5. de senen. & vt iudi. & Siman. de Causib. Inquis. tit. 2. num. 12. Quo fit, vt in Hæreticos ex Anglia, Germania, Polonia, vel Gallia in Italiam, vel Hispaniam venientes, possint Inquisitores inquirere, & animaduertere: præsertim si suas hæreses scripto, vel verbo antea docuerint, aut sese palā tanquā hæreticos gesserint.

**Decimo sexto Quæritur,** An Episcopus sine Inquisitore, & cōtra, Inquisitor absq; Episcopo possit in causa hæresis sententiā ferre? **Respondeo,** sententiā posse esse multiplicem: Aut enim est sententia, qua quis absoluitur, aut qua cōdemnatur, aut qua canonica purgatio criminis indicitur, aut qua precipitur, vt quis hæresim generatim, aut speciatim abiuret: hoc est, iureiurando condēnet, & detestetur. Si ergo sermo sit de sententiā, qua quis absoluitur, multorum est opinio, posse Episcopū seu Inquisitorem seorsim eā proferre. Sic Ioā. And. Pau. Card. Abbas, & alij, quos citat Penna in Direct. par. 3. q. 4. s. cōmen. 97. Aliorū tamen est opinio, minime eū posse, quam tuerentur Ancharanus, Aretinus, Socinus, Simā, & alij, quos refert, loco citato Penna. Et licet prima opinio congruere cū iure videatur, Secunda tamen est tutior. Si vero de sententiā, qua quis cōdemnatur, loquamur, inter oēs conuenit, non posse, vt testatur Penna loco citato. Quod si de sententiā, qua canonica purgatio, vel abiuratio hæresis indicitur, sermo sit, licet quidam contendant, posse ab Episcopo, vel Inquisitore proferri; vsu tamen magis recepta, tuta, & magis cum iure consentiens opinio est eorum, qui negant, posse: vt docet idem Penna loco citato.

**Decimo septimo Quæritur,** de quibus criminibus Inquisitor cognoscere queat, ac debeat? **Respondeo,** eū iure cōmuni inquirere in Hæreticos,

in Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum: in eos, qui legunt, vel qui apud se retinent, vel qui Typis mādant libros Hæreticorum prohibitos siue damnatos: in diffamatos quoque, aut suspectos de Hæresi: in Schismaticos, Apostatas: in Christianos, qui transeunt, vel qui redeunt ad Iudæos, Saracenos, Paganos: Itē, in Blasphemos, siue maledicos, qui proferunt verba hæresim cōtinentia: in Sortilegos, & Diuinatores, qui vel ritibus Hæreticorum, vel verbis vtuntur, quæ, aut hęresim contineant, redoleant, aut sapiant: in Magos, & eos, qui Demones inuocant, cum eis colloquia, & consuetudinē habent: de quibus singulis suo loco differemus. Denique, in excommunicatos, qui per annū in excōmunicacione pertinaciter perseuerant. At iure nouo peculiari, & priuilegio de quibusdā alijs criminibus cognoscunt. Sciendū est Excommunicatos esse in duplici differentia, quidā ob contumaciā in Causa fidei, & religionis, alij ob contumaciā in alijs causis. Primi generis illi excommunicati sunt, in tribus casibus. Primō, quia citati ad iudiciū, vt respōderent de Fide, & religione, vel vt se fisterēt, id facere renuerunt, hi excōmunicantur à Iudice. c. Cum contumacia, de Hæret. in sexto. Secūdo, quia directo, vel indirecto Inquisitionis officij impedierunt, siue impediētib; auxiliū, opem, consilium dederunt: qui quidē sunt, ipso iure, excommunicati, c. Vt Inquisitionib; §. Prohibemus, de Hæret. in sexto. Tertiō, quia Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fautores Hæreticorū fuerūt: qui sunt etiā ipso iure excōmunicati, c. Excommunicamus, §. Credentes, de Hæret. In oēs huiusmodi excommunicatos, si in excōmunicacione ad annum pertinaciter perstiterint, tanquam in Hæreticos inquirunt, & animaduertitur, vt ait Archidiaconus, cap. Accusatus, de Hæret. in sexto. Hoc est, huiusmodi excommunicatus, sicut Hæreticus, quem sui peccati pœnitet, hæreses abiurare, & idoneā satisfactionem reddere compellitur; & deinde absolutus Ecclesiæ reconciliatur; Si verō respiscere nolit, Iudici seculari traditur, iusta, & debita pœna plectendus; ita etiam excommunicatus ob contumaciā in causa Fidei, si de suo peccato doluerit, abiuratis erroribus, & idonea satisfactione reddita, absoluitur, & in Ecclesię gremium admittitur; Quod si ad saniolem mentem redire noluerit, traditur Iudicibus secularibus capite multandus, hoc est, pœna merita puniendus. Ceteri excommunicati ob contumaciā in alijs causis, qui in excōmunicacione pertinaciter ad annum permanent, puniuntur solum tanquam suspecti de hæresi. Ita docuerunt Innocentius, Hostiensis Abb. Felin. in c. excommunicamus. 1. §. qui aut de hæreticis. Archidiaconus Ioan. And. Gemina. & Francus in cap. cum contumacia de hæret. in sexto. Denique quādo inquisitor possit inquirere in excōmunicatos, tractatur in Direct. Inquis. p. 3. q. 47. & cōmen. 72. Et in Concilio Tridentino sess. 25. c. 3. de Reformat. legitur sic: Excommunicatus verō quicūque, si post legitimas monitiones, non respuerit, non solum ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem nō recipiatur: sed si obdurato animo celsuris annexus, in illis per annū inforduerit, etiā contra eum, tanquam de hæresi suspectus, procedi possit. Hęc ibi. Animaduertendū est, auctoritate Romani Pōtificis Illustrissimos, & Reue-

rendissimos



rendissimos Cardinales ex toto Collegio de ligi, & constitui Generales Inquisitores in tota Republica Christiana: quos per litteras consulunt, ceteri omnes Inquisitores in singulis vrbibus, & prouincijs constituti. In Hispania, Inquisitores singulis vrbibus præfecti, Generalem Inquisitorem Regno Hispaniensi præpositum, per litteras cõsultant: verò consulit Illustrissimos, & Reuerendissimos Cardinales totius Sanctæ Inquisitionis Præfectos.

### Caput XIX.

#### De Absolutione ab hæresi.

**A**ntequam id explicem, nempe per quem, & quomodo possit quis ab hæresi absolui, referam Priuilegia, quæ aliquando Romanorum Pontificum beneficio, solent religiosis ordinibus concedi, tum in libris Hæreticorum legendis, tum etiam in Absoluendo ab hæresi.

In primis igitur circa libros Hæreticorum prohibitos solet concedi facultas, qua possit generalis totius ordinis Magister siue Minister, re mature considerata, & consultata cum ijs, qui ei sunt à consilijs, dare potestatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos, ad oppugnandos, & cõuincendos Hæreticos, ad hæreses confutandas, ad Fidei, & religionis nostræ dogmata comprobanda, & defendenda. Et hoc Priuilegium concedi solet, in commune Fidei bonum, & in ijs Prouincijs, in quibus Fidei Inquisitores, specialiter à Romano Pontifice constituti non sunt.

Aliquando conceditur Priuilegium, quo datur facultas Religiosis, vt legant quoque libros, qui hæretici non sunt, licet habeant Annotationes, & Scholia auctorum hæreticorum: vel quauis auctores ipsi mali sint, si libri non sint editi ad stabilienda dogmata hæretica; dummodo nomẽ auctoris, si sit hæreticus, aut in Indice prohibitus, & si quid inter legendum, impij occurrerit, deleatur. Hæc item Facultas dari non solet Religiosis, nisi ijs, qui morantur in locis, in quibus Inquisitores Fidei non sunt.

Conceditur etiam aliquando Religiosis hominibus priuilegium, vt qui à superioribus specialiter deputati fuerint, habeant facultatem emendandi libros, quorum auctores pij quidem sunt, sed habent praua Scholia, vel Annotationes; aut quando auctores, aut Impressores sunt impij, nõ tamen libri; aut cum auctores sunt Ethnici, sed habent scholia, Annotationes, vel quid huiusmodi, propter quod, prohibiti sunt, donec expurgentur, dummodo auctores, & nomina malorum auctorum, vel Impressorum deleantur. Hæc similiter Facultas dari solet Religiosis, qui cõmorantur in ijs Prouincijs, vbi speciales Fidei Inquisitores constituti Romani Põtificis auctoritate nõ sunt.

Dari quoque Priuilegiũ solet, vt qui à Magistro totius Ordinis Generali deputati fuerint, habeant facultatem emendandi, & corrigendi libros Ethnicorum, propter scholia, Annotationes, Cõmentaria Hæreticorum, vel Impressorũ in Indice prohibitorum, modo errores, & nomina auctorum, aut aliorum auctorum prohibitorũ penitus deleantur, & expurgentur.

Item, concedi solet Priuilegium, quo datur facultas, qua possit Minister totius ordinis Generalis per se, & non per alios absolueri ab hæresi quoslibet, in foro conscientie duntaxat: hoc Priuilegium, non datur Religiosis, nisi ijs, qui cõmorantur, & viuunt in locis, in quibus Inquisitores specialiter à Romano Pontifice deputati non sunt, quales sunt in Hispania, Italia, & alijs Prouincijs Hispaniarum Regi subiectis. Vnde Priuilegium conceditur sine villo Inquisitorum detrimento, & incommodo.

Conceditur quoque aliquando facultas Religiosis absoluendi quoslibet, ab excommunicatione ob lectionem librorũ prohibitorum, ijs in locis, vbi potest Religiosi Ordinis Generalis Præfectus absolueri ab hæresi in foro conscientie. Verũ, si libri prohibiti sint, quia ad stabilienda dogmata hæretica cõpõsti sunt; non solet huiusmodi facultas cõcedi alijs, quàm Inquisitoribus, nisi in causis particularibus, per spectis circumstantijs, discussis, & ponderatis. Aliquando concedi solet facultas Religiosis Ordinibus, per quã ijs, qui mittuntur ad triemes, possunt absolui à quibuslibet peccatis, & casibus, eodẽ modo, quo in articulo mortis, solent poenitentibus absolui. Hæc facultas ideo amplissima dari solet, quoniã ijs, qui ad triemes perpetuò ob maleficium condemnantur, in maximum vitæ discrimen sæpè deueniunt.

Solet etiã facultas dari Religiosis Ordinibus, vt ijs, qui sub Obedientiã, & potestate Religiosi ordinis degunt, possint absolui per eũ, qui toti Ordini præfectus est: & per alios, quos ipse deputauerit, ab omnibus peccatis, & casibus ante, vel post ingressum in religiosorũ ordinem cõmissis, & ab omnibus Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & poenis à lure, vel ab homine latis; præter quã ab ijs quatuor, quæ in Bulla Sixti I V. continentur, quæ sunt, Relapsus in hæresim, Schisma, litterarũ Apostolicarum Falsificatio, & Delatio rerũ prohibitarum ad Infideles. Volentes tamen ingredi in Religiosorum ordinẽ, & absolui, recidunt in priuinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis Probationis, & tyrocinij experimentis, iuxta constitutiones ipsius ordinis, ad vota solenni ritu emittenda parati sint, etiã super hoc induciã eis à Præfectis ordinis concedantur.

Facultas quoque concedi solet Religiosis ordinibus, vt eorum Præfectus Generalis, & Prouinciales possint Religiosos sibi subiectos in Prouincijs, in quibus Inquisitores specialiter deputati non sunt, absolueri à Relapsu in Hæresim, aut in Apostasiam, & eorum poenas à Iure constitutas cõmutare, augendo, aut minuendo, consideratis qualitate, & quantitate, alijsq; debitis circumstantijs: dummodo talium relapsorũ crimina publica, & notoria apud sæculares non sint; ita vt ex hoc scandalum, & aliorum offensio oriri possit.

Sed quæres, an huiusmodi Priuilegia, & facultates abrogentur vi cõstitutionis Pontificiæ, quæ in die Cœnæ Domini, publico, & solenni ritu de more legitur? Respondeo, abrogari; nisi cõcedatur, cũ clausula expressa, vt abrogata esse, non cõsistantur per eam cõstitutionem Pontificiam.

His positis, Primò queritur, à quo absolui possint in foro conscientie Hæretici, Credentes Hæ-

reticorum,



reticorum, Receptores, Defensores, Fautores, aut qui legerunt, retinuerunt, vel typis mandarunt libros Hæreticorum damnatos? Respondeo, eos non posse absolui nisi à Romano Pontifice, aut ab eo, cui Pontificia auctoritate fuerit specialiter commissum: qua ratione Inquisitores Apostolici Hæreticos pœnitentes absolunt.

Secundò Queritur, An sacerdotes ad peccatorum confessiones excipiendas electus, vi litterarum Apostolicarum, siue Pœnitentiarij, quæ vulgò Bullæ Cruciatæ appellatur, aut vi Iubilæi, quo conceditur facultas simpliciter absoluedi ab omnibus peccatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, possit absolvere ab hæresi, & à cæteris criminibus supradictis? Ad hanc Quæstionem supra respondi ac dixi c. 10. q. 12. iuxta stylû, & vsu Romanæ Curia, non posse: quoniam absoluedi facultas specialiter cõmittitur Inquisitoribus Fidei. Vnde cum generatim datur potestas absoluedi ab ijs casibus, qui continentur in ea Constitutione, quæ Bulla in Cœna Domini vocatur, nõ eo ipso, datur facultas absoluedi ab hæresi: quoniam hæc facultas est specialiter commissã Inquisitoribus Fidei, & generales cõcessiones specialibus non nocent.

Tertiò Queritur, An Episcopi vi facultatis in Concilio Trid. concessæ sess. 24. c. 6. possint absolvere ab hæresi, & cæteris supradictis criminibus, quando sunt occultæ? supra quoque respondi cap. 10. quest. 10. ac dixi, eos non posse, & hanc facultatem esse abrogatam per clausulam Bullæ in Cœna Domini, quæ reuera est nimium generalis, & quæ protenditur, tam amplè, ut eam facultatem abroget: nam ita declaravit congregatio Cardinalium, vt superius iam dixi cap. 10. q. 10.

Quartò Queritur, An quilibet scilicet approbatus, & idoneus ad peccatorum cõfessiones audiendas, iure possit absolvere ab hæresi tantummodo mente cõcepta? Supra etiã admonui, quosdam credidisse, interiore mentis hæresim esse excommunicatione affectam, & hæc quidem excommunicatio, cõ sit Romano Pontifici referuata, consequens esse, inquit illi, vt solus Romanus Pontifex quempiam possit absolvere ab ea hæresi. Sed quia nos lögè verius esse arbitramur, per solam mentis hæresim, nullam contrahi excommunicationem: dicimus, absolutionem eius nemini esse referuatam; & proinde quemlibet idoneum Confessarium, hoc est legitimè approbatum, ab eo absolvere iure, & tuta conscientia posse.

Quintò Queritur, An hæreticus cum morti proximus est, possit absolui à quolibet Sacerdote? Respondeo, posse, si Episcopus, & Fidei Inquisitores desint, quia præsentis non sunt. Nam in Concilio Arausicano 1. Canone 2. de hære constitutum est in hunc modum: *Hæreticos in mortu discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placuit. Idem colligitur ex cap. Hæ, qui in tempore, & c. Si Presbyter, & c. Agnomimus, & c. Presbyter, 26. q. 6. & tandem Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. De casuum reservatione, sic habet: prope finem: In eadem Ecclesia Dei, piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis perdat, custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœni-*

tentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. **QVAERES**, an etiam possint absolui hæretici, & Ecclesiæ reconciliari post mortem, si signa pœnitentiæ dederint, & absolutionem petierint, nec per eos steterit, quo minus ante obitum absoluerentur? Respondet Siman. de Cathol. instit. tit. 3. nu. 4. esse receptum vsu, & iure communi, vt in foro exteriori ab excommunicatione, ac cæteris censuris absoluantur, cap. A nobis 2. De sententiã excommunic. ex Concilio 4. Carthaginensi Canone 76. Absoluitur autem post obitum in foro exteriori, vt Ecclesiasticæ sepulturæ mandari, & tradi possint, hoc est, in loco sacro sepeliri, & pro eis preces, & sacrificia de more, & consuetudine offerri: nõ secus non possunt in locis sacris sepeliri.

Sextò Queritur, An hæreticus postquam fuerit in foro interiori absolutus ab hæresi, sit liber, & immunis à pœnis, quibus in foro exteriori alioqui subijciebatur, ita vt in eum amplius inquiri, & animaduerti nequeat, & ipse se hac exceptione tueri possit, dicens se esse in foro pœnitentiæ absolutum? Respondeo, minimè, Zachin. tract. de heres. cap. 34. Directorium Inquisit. part. 2. in Comment. 25. Vnde hæreticus, siue ab Episcopo, siue ab Inquisitore, aut ab alio absoluedi facultatem habente, absolutus in foro pœnitentiæ, potest nihilominus accusari in foro exteriori, citari, capi, & in carcerem trudi, corqueri, & puniri, siue canonica, siue ciuili pœna. Nam sententiã, & pœna lata, & imposta à Cõfessario in foro pœnitentiæ, quantumcunque magna sit nequaquã liberat criminisum à pœna, siue canonica, siue ciuili in foro exteriori luenda. Glossa communi consensu recepta in c. Gaudemus de diuort. verbo, Poterit. Sic etiam Abbas, tmola in c. 2. de emp. & vendit. Paulus Castrensis in l. Cantos populos. c. de sum. Trinit. & fide Cathol. Cardinalis, & alij in cap. de his. de accusat. Quod & ratio ipsa probat, & euincit: quia pœna per Confessarium imposta in foro pœnitentiæ, constituta est, vt is, quem sui peccati pœnitet, per eam Deo, quem offendit, satisficiat; at verò iuris ciuilis, vel canonici pœna in foro exteriori imponenda, spectat ad punitionem corporis, & vindictam publicam, vt etiam criminis reus, legitimè Republicæ satisficiat, quam delinquendo nimis offenderat. Si quæras, quid si pœnam in foro pœnitentiæ impositam, pœnitens publicè persoluerit? Respondeo, etiam tunc non tolli pœnam in foro exteriori persuendam, vt tradidit Abbas in cap. de his de accusationib. quo fit, vt hæreticus manifestus, legitimè per Sacerdotem in foro pœnitentiæ absolutus ab hæresi, nequeat in loco sacro sepeliri, quia quod Ecclesiastica sepultura caret, est pœna iuris; & proinde, donec in foro exteriori hæreticus absoluat, eam pœnam perferre, & sustinere debet.

Septimò Queritur, An Sacerdoti afferenti, à se hæreticum esse absolutum in foro pœnitentiæ, sit in foro exteriori credendum, si eum, vel innocentem esse, testificetur, vel sui criminis idoneam egisse pœnitentiã? Hæc quæstio tractatur in Direct. Inquisit. p. 2. in Comment. 25. Quæstionem mouet. Primò, quia notario creditur ratione officij in ijs, quæ ad suum munus spectant, cap. Ad audiendam, de præscriptionib. Ergo videtur eti-



am Sacerdoti credendum. Rursus, vni testi spectate fidei, & probitatis, creditur, ergo credi debet Sacerdoti. Præterea, propensiores nos esse oportet ad absoluedum, quam ad condemnandum. Postremo, in Sacramento Confessionis non est verisimile, aut poenitentem mentitum fuisse, aut Confessarium aliud, quam audierit, affirmare: ergo credendum est, si testificetur reum esse innocentem, vel idonee satis de peccato doluisse, & quia ita videtur sentire Glossa in *c. super nobis, in verbo, nisi iuratus, & cap. testimonium, in verbo, in hoc casu, de testibus*. Respondeo, in foro exteriori non oportere fidem habere Sacerdoti, qui peccatorum confessionem excepit: Iudex enim in foro exteriori secundum ea, quæ sunt legitime in iudicio probata, sententiam in reos, ac fontes ferre debet, non autem iuxta priuata iudicia: vt docet S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 2.

**Octauo** Queritur, An hæreticis, & cæteris ob causam fidei in carcerem missis, & vincis cõcedi debeat Sacerdos, qui eorũ confessiones excipiat in foro poenitentia? Responderet Simancas de *Cathol. instr. tit. 16. m. 30.* hisce rebus non esse copiam Confessarij faciendam, nisi plenè Inquisitoribus tanquã iudicibus fuerint sua crimina cõfessi, aut nisi in extremum vitæ periculum deuenierint. Et tunc, inquit, per inquisitores fidei, reconciliandi Ecclesie sunt, ab excommunicatione prius absoluti. Deinde, in foro poenitentia à Confessario absoluedi, & post obitum Ecclesiastica sepultura donandi, donec sententia publice profertur. Hunc morè, ait Simancas, in Hispania seruatur. Hunc morè, ait Simancas, in Hispania seruatur. Hunc morè, ait Simancas, in Hispania seruatur. Sed in Director. Inquisit. p. 2. *Commen. 25.* Benignius, & mitius esse agendum, dicitur, & Confessarium toties dandum eis, quoties petierint. Neque enim Confessarius obesse potest, sed prodesse, vt qui eos monere, & hortari, & potest, & debet, vt Inquisitoribus suũ factum cõfiteantur, cum id confiteri ipso iure cogitur. **S I R O G E S,** quo modo se gerere debeat Confessarius, quando conceditur eis? Respondeo, si huiusmodi hæretici & grotauerint in carcere, & consilio Medici, ipsis petentibus Confessarius dandus sit, is debet esse spectate probitatis, & doctrinæ: qui etiã ad iurandum adigitur, vt arcanum suæ fidei cõmissum diligenter seruet. Quod si poenitens ei dixerit aliquid, dum sua peccata inter confitendum prodit, ac refert, quod velit extra confessionem aperiri, ei minimè credat, quoniã solent tales fictè, & mendaciter sæpe numero confiteri, vt poenam, quam merentur effugiant, & euadant. S. verò extra Confessionem ei aliquid patefecerit, quod ad ipsam causam fidei, & religionis attineat, id Inquisitoribus aperiat. Item, Inquisitores Confessarium admonere solent, vt dicat poenitenti, eum ob hæresim, vel ob causam fidei esse accusatum, & in carcerem detrusum, ac vinculum: nec posse absolui, nisi prius iudicibus suum crimen confiteatur, ac prodar. Quod si in extremum fuerit adductus vitæ discrimen, tunc si de suo peccato per poenitentiam doleat, & eo animo sit, vt Ecclesie mandatis omnino parere velit, eiq; dignè satisfacere, absolui debet in foro poenitentia, ab omni censura, & peccato: quoniã nihil tunc superest, quod sit reseruatum. Deinde verò, vt Ecclesiasticam sepulturam obtineat, absoluedus est per Inquisitores fidei, ab excommunicatione in foro exteriori. Quod si tales criminiosi rectè valuerint, quamuis Confessarium petierint, non solet in Hispania eis dari, nisi coram Inquisitoribus crimen antè detexerint. Sed vt paulo ante dixi, benignior est, quæ in Italia consuetudo, seruatur. Neq; enim obesse quippiam Confessarius potest, imò & multum prodesse poenitentibus, cum eius partes esse debeant, eos plurimum monere, & cohortari ad sua crimina iudicibus aperienda, imò ad locos etiam criminis prodendos. Eos tamen serò monere Confessarius debet, vt caueat, ne tadio carceris, aut spe libertatis, aut metu tormentorum, sibi aut alijs falsum crimen imponat: neque hos potest Confessarius absolueri, nisi quæ fuerint ab excommunicatione absoluti, & Ecclesie reconciliati.

**QVAERES** deinde, An si sacerdos aperiat, aut per ignorantia, vel imprudentia, aut alia qualibet de causa, aliquid, quod inter confitendum poenitenti exciderit, quodq; ipse audierit, id possit ad iudicium valere, nimirum tanquam criminis indicium, testimonium, siue probatione respondeo, non posse, quoniã id tanquam Dei minister audiendo poenitentem excepit, & alioquin sanè hoc in manifestum, & euidentem Sacramenti poenitentia vergeret detrimentum. Quare iudices secundum eam notitiam à Confessario acceptam nequeunt in poenitentem inquirere. Postremo quæres, nunquid si poenitens quippiam Sacerdoti circa hæresim patefecerit, non quidè inter confitendum, sed extra sacramentum confessionem peccatorum, solum tanquam arcanum iure naturæ celandum, liceat sacerdoti id iudicibus aperire? Respondeo licere, tamen si se celaturum promiserit, aut iureiurando etiam affirmauerit se de ea re taciturnum: quoniã in male promissis (iuxta iuris Regulam) rescindenda est fides. Et secretum, quod communi rei publicæ saluti nocet, aperendum est eis, qui prodesse queunt. Præsertim in grauissimo crimine hæresi, quod extra sacramentum confessionem cognitum est: & vehementer bono communi fidei nocet.

**Nonò** Queritur, An in crimine hæresi ad Iudices deferendo, præcedere debeat priuata, & fraterna correptio? S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. aperte respondet, occultum hæreticum esse iudicibus prodendum citra vllã fraternali correptionem. Nisi inquit, forte aliquis firmiter existimasset, statim ad priuatum suam admonitionem, hæreticum in saniores mentes rediret, & proinde tantum malum impediendum. Quæ sententiam Theologi, & Summi magne doctrine, & auctoritatis amplectuntur. S. Ilu. *cor. rectio. q. 7. Angel. denunciatio. q. 2. Rosel. inquisitio. m. 1. Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 9. versus finem.* **Contra** tamen Simancas de *Cathol. instr. tit. 19. m. 11.* & ipsi etiã Inquisitores contendunt, hæreticos ad Inquisitores Apostolicos statim deferri oportere, etia occultos, & nulla correptione præmissa. Id enim Inquisitorum publica edicta præcipiunt. Quam sententiam Simancas conatur ostendere ex eo, quod, cū ait Dominus Petro: *Si peccauerit in te frater tuus, & quæ sequuntur, minimè loquatur de omni peccato, sed de eo duntaxat, quod in nos committitur, cum ab aliquo iniuriæ, vel damno afficimur: quæ fuit sententia Bernardini Aretani, qui de*



Correptione fraternā integrum librum conscripfit: vt hanc sententiam contra communem opinionem Theologorum, & iuris Canonici doctorum defenderet.

Ego tamen in hac controuersia, sententiā Inquisitorum omninō tenendam existimo: non eadem tamen, qua Simancas, ratione permotus. Quamuis enim ipse non disiteat, Christum fuisse de omni peccato locutum; arbitror tamē correptionem fraternā tunc solū locum habere, cū peccatum alicuius, apud Superiores magistratus denunciatur, ob emendationem delinquentis; nō autem, quando defertur ad Iudices, vt peccata, quæ publicam punitionem promerentur, iustis, ac debitis poenis vindicentur. Tunc enim quamuis, qui deliquit, respuerit, & ad meliorem vitæ frugem redierit, nihilominus crimen eius est Iudici denunciandū, vt in eum animaduertatur, & qui rem publicam offendit delinquendo, publica poena afficiatur. Nam, vt docet Abbas in c. nouit. de iudicijs, cuius sententiā Summistæ sequuntur in verbis: Denunciatio, aut verbo, Inquisitio, Denunciatio est duplex, vna iudicialis, altera Euangelica: hæc est ad emendationem fratris, qui deliquit: illa est ad publicam vindictam criminis, quod est peccatum. In Euangelica seruari debet ordo Euangelicus præscriptus à Domino, quem ordinem lex charitatis requirit, & postulat: Secus verò est in denunciatione iudiciali, qua vtuntur Inquisitores. Obijcies inde concludi; hæretici delictū occultum, non esse ad Iudices deferendum, sed publicum: quia occultus hæreticus Rempublicā minime lædit, sed publicus. Certè hoc argumēto quidam Theologi sunt adducti ad asserendū, occultam crimina prius esse priuatim corripienda, quàm apud iudices denuncianda: at verò è contrario Inquisitores aiunt, occultum crimen, ac scelus (quale crimen est hæresis, & alia his similia in causa Fidei) eo ipso, quod vno sciente committitur, totam Rempublicam offendere, sicut etiā cætera crimina, quæ ius ciuile publica appellat, nimirum adulteriū, homicidium, periurium, incestus, rapus, iuste ad Iudices deferri queunt, quāuis vnus tantum ea noverit. Nō enim publica delicta appellantur ob id, quod publicum detrimentum afferat, sed quia huiusmodi criminosos possit quisque priuatus accusare, vt dignam poenam persoluant. Deinde obijcies: Quando vnus tantum alienum crimen cognitum habet, & id testibus probare non potest: quomodo de eo alium accusare debet, quod probare nequit? Respondeo, nihil hoc impedire: nam licet olim secundum ius ciuile commune accusator testes dare, ac probare crimea debebat: modò tamen aliud est vsu receptum. Nam delicta ad Iudices deferuntur, siue per accusationem, siue per denunciationem iudicialem, quæ parū ab accusatione distinguitur, eaque Fiscalis (quem vocant) administer scripto excipit. Quod si testes accusator, vel denunciator dederit, eos quoque in charta describit. Si verò nullos dederit, scribit tantum nomen accusatoris, vel denunciatoris, ac deinde Fiscalis crimen iudicibus denunciat, & accusator, vel denunciator tanquam testis in iudicium vocatur, Fiscalis accusatoris, denunciatoris ius munere, & officio fungenti: & tunc accusator, vel denunciator, quia

tanquam testis rogatur, totam rei veritatem, quā nouit, profiteri debet. Porro, quando accusator, denunciatorue est testis omni exceptione maior; tunc Inquisitores non solum ius habent citandi eum, qui criminosus est: sed etiam capiendi, & in carcerem detrudendi, torquendi, & interrogandi, vt ipse suum crimen fateatur. De hac tamen controuersia in explanatione octauæ Decalogi præcepti, plenius disseremus.

### Caput XX.

#### De Schismaticis.

**A**nnotandum est de Schismaticis ius Canonicū multis in locis tractare. 2.4. q. 1. per plura capita. Et eadem causa q. 3. & in Decretalibus in sexto, & Clementinis tit. de schismat. S. Thomas agit. 2.2. q. 39. Antonin. p. 2. tit. 3. c. 11. Simanc. de Cathol. instit. tit. 58. Direct. inquisit. p. 3. q. 48. Summistæ in verbo, Schisma. Turcrem. in sum. de Ecclesia. lib. 4. p. 1. per quindecim capita.

Quæritur in primis, An schismatici sint hæretici? Respondeo ex communi Canonici iuris interpretum, & Summistarum sententia, hæreticū à schismatico differre, quod omnis hæreticus est schismaticus, non tamen è contrario. Quod probant, quia appellatione schismatis, diuisio significatur: Omnis autem hæreticus sese ab Ecclesia auertit, separat, & diuidit: & proinde schismaticus ab Ecclesia, quæ vna est, sese disungit: non tamen dogmata contra Ecclesiæ sensum confingit, aut docet, & propterea hæreticus non est, c. loquitur, c. alienus. 2.4. q. 1.

Secundò quæritur, Quomodo schisma ab hæresi differat? Respondeo, hæresim esse dogma Fidei contrariū, Schisma verò, esse crimē, quo quis ab vnitæ Ecclesiæ recedit: & proinde cum Fide hæresim pugnare, schisma non item, vnitati tamē Ecclesiæ, luerari. B. Hieronymus, (vt refertur à Gratiano 2.4. q. 3. c. Inter hæresim. Inter hæresim, ait, & schisma hoc interesse arbitror: quod hæresis peruersum dogma habet, schisma, post Episcopalem discessionem ab Ecclesia pariter separatur. Et sanctus Augustinus lib. 20. contra Faustum, c. 3. & lib. contra Cresconium Grammat. cap. 7. Schisma, inquit, est, eadem opinantem, ac eodem ritu colentem, quo ceteri, solo congregationis delectari dissidio. Et alibi lib. quæstion. Euangelica, secundum Mattheum, q. 11. Inter hæreticos, ait, & malis Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes, non ita viuunt, vt credunt. Solet autem quæri, schismatici quid ab hæreticis distent? Et hoc inueniri, quod schismaticos non vna fides diuersa facit, sed communis disrupta societas. Hæc Augustinus.

Tertio Quæritur, An schismaticus sit pars, vel membrū Ecclesiæ? Ratio quæstionis est, quia schismaticus hæreticus non est, nā fidem tenet, & seruat. Item baptismū habet, & per baptismum quis in Ecclesiā ingreditur. Item, licet schismaticus sit excōmunicationis sententia, & vinculo ligatus, non eo ipso, extra Ecclesiam est: nam excōmunicatio ab Ecclesia non segregat, sed à Sacramētis, precibus, & suffragijs cōmuniibus, & cōiuctu piorum, & fidelium. Respondeo, Patres perspicue tradere, extra Ecclesiam esse, schismaticos. Cyprianus, vt habetur 7. quæst. 1. cap. Scire debes, ita lo-



quirit: Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, ut Ecclesiam in Episcopo: Et si quis in Episcopo non sit, in Ecclesia non esse. Idem colligitur ex eodem Cypriano, ut habetur in cap. Loquitur Dominus 24. q. 1. B. Augustinus lib. de fide, & symbolo. c. 10. Credimus, inquit, sanctam Ecclesiam, utique Catholicam. Nam & heretici, & schismatici congregationes suas etiam Ecclesias vocant. Sed heretici falsa de Deo sentiendo ipsam fidem violant: Schismatici autem distinctionibus iniquis à fraterna caritate distulim; quamvis ea credant, quae credimus: quapropter nec hereticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quoniam diligit Deum: nec schismaticus, quoniam diligit proximum. Et B. Hieronymus scribit, ut legitur in c. Inter haereticos. 24. q. 3. Schisma à principio aliqua in parte potest intelligi diversum ab heresi. Ceterum iam inueteratum, siue continuatum nullum schisma est, nisi sibi aliquam heresim confingat, ut rellè ab Ecclesia recessisse videatur. Hæc Patres. Et hoc videtur colligi ex ipsis exemplis, quæ in Scriptura legitur, schismatici enim sunt similes Chore, Dathan, & Abiron, qui se à Moyle duce Israelis, & ab Aaron summo Sacerdote diuiserunt, Num. 16. Sunt item similes decem tribubus Israelis, quæ contempto Rege Roboam, alterum sibi Regem Hieroboam delegerunt, 3. Reg. 12.

Breuius itaq; dicendum est: Si Ecclesiam accipiamus, ut est fidelium congregatio sub vno capite Christo Domino, atq; eius in terris Vicario Romano Pontifice viuentium, schismaticus, sicut & is, qui est hereticus, verè extra Ecclesiam est, quia quamvis dogma non sequatur fidei Ecclesia contrarium: at verò iure extra Ecclesiam esse dicitur, quia ab Ecclesie vnitate, & communione recedit, cum Ecclesie capiti, quod in terris est, cæteris membris sese coniungere renuat. Item, quatenus excommunicationis vinculo tenetur obstrictus, communibus Ecclesie suffragiis, & bonis priuatur, à Sacramentis arcetur, & à confortio fidelium, & piorum hominum repellitur; & proinde extra Ecclesiam quoque est, ea ratione, quia is, qui est anathemate, siue excommunicatione affectus, extra Ecclesiam dicitur constitutus: hoc est sententia Ecclesie à fidelium hominum cœtu segregatus.

Quartò Quæritur, An Romani Pontificis recusare præceptum, sit schismatis peccatum? Respondet Caietanus 2. 2. q. 30. art. 1. tripliciter posse contingere, ut quis Summi Pontificis præceptum recuset, & negligat. Primò, quia non pareat illi in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet; ut si præcipiat arma deponere, alienum restituere, & quis id præstare renuat? qui propriè schismaticus nõ est, sed inobediens hominis crimen contrahit. Secundò, si quis Romano Pontifici non obtemperet, eò quod sibi sit eius persona inuenta, & odiosa: Schismaticus quoque propriè peccatum non perpetrat. Tertio, si recuset quis Pontifici subesse, & obedire tanquam Christi vices in terris gerenti: & hic est, & dicitur verè, & propriè schismaticus: quoniam à capite generali, quatenus caput est Ecclesie, recedit. Idem est, si nolit sese cù Ecclesie membris coniungere; quatenus Ecclesie membra, & partes sunt. QUAERES, an schismaticus cõsuetur, qui se à quolibet alio Episcopo, quatenus talis est, abstrahit? Resp. B. Cyprianum, ut legitur in c. Scire debes. 7. q. 1. & cap. Loquitur Dominus. 24. q. 3. Schismaticos appellare eos, qui sese à suis Episco-

pis segregant. Et profectò olim isti, schismatici appellari solebant, quia se à Catholicos Ecclesijs separabant. Nunc verò pressius, & strictius schismaticus accipitur, nimirum is, qui spõte, vel à Romano Pontifice, vel à Romana Ecclesia se diuidit, disjungit, & subtrahit. Deinde sciscitaberis, quo pacto schisma, quo se quis ab Ecclesia segregat, contingat citra vllum intellectus errorem? Respondeo ex S. Thomæ sententia. 2. 2. q. 39. art. 2. ad 3. & ex Caietani opinione id explicantes, eo loco, & in summa cap. Schismatis crimen, inde accidere, quòd fieri possit, ut quis Romani Pontificis, vel Ecclesie imperium recuset, obtendens sui criminis rationem, & causam, videlicet dicens, Romanum Pontificem non esse legitime creatum, aut eum ob sua delicta, potestate, & autoritate Pontificia priuatum, atque spoliatum.

Quintò Quæritur, Quibus poenis sit schismaticus addictus, & ipso iure damnatus? Respondeo, eum esse excommunicatione affectum, cuius absoluto Romano Pontifici referuatur. Nam in Constitutione Pontificia, quæ in die Cœnæ Domini legitur, prima excommunicatio in hereticos, & schismaticos fertur, quæ habet à tempore Pij V. & Gregorij XIII. hæc verba: Necnon schismaticos, & eos, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt. Hæc ibi.

Animaduertendum est, tempore Caietani hæc excommunicationem ferri solitam esse, his verbis: Excommunicamus, & anathematizamus illos omnes, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt: & qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè prædicta excoqui, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem prestare non verentur. quibus verbis plures, quam nunc excommunicatio afficiebat. Sciendum quoque est (quod & Caietanus in Sum. in verbo, Excommunicatio. cap. 7. annotauit) Hanc excommunicationem non contrahere eos, qui Romani Pontificis imperium quomodolibet etiam per contemptum detrectant, & subterfugunt, sed eos tantum, qui ab ipso, tanquam Christi in terris Vicario, pertinaciter recedunt; quos paulò ante dixi, esse propriè schismaticos.

Sextò Quæritur, An olim ante huiusmodi Constitutionem Pontificiam schismaticus fuerit ipso cõmuni iure pœna excommunicationis obstrictus? Quidam existimant fuisse: quod probant ex c. 1. de schismaticis, & c. Nulli fas. dist. 19. Verum, ut rectè monuit Abbas in Rubrica, de schismaticis, nu. 2. nihil tale ex illis capitibus colligitur. Nã in c. Nulli fas, & alijs, quæ citari solent, solù habetur schismaticos esse excommunicatione expellèdos. Quare idem auctor censet, schismaticos ipso iure excommunicationem contrahere, eo quòd in c. Licet, de electione, decernitur: Si Romanus Pontifex à duobus partibus Cardinalium consentientibus fuerit electus, & receptus, & aliquis ex tertia parte sibi nomẽ Pontificis assumpsit, tam ipse, quam ij, qui eum ad miserunt, excommunicationi subiaceant, & totius sacri Ordinis priuatione muldentur. Hæc ibi. Verum nec ex hoc capite colligi alijs videtur, schismaticos absoluitè, & simpliciter, hoc est, in vniuersum, excommunicationem in-

currere,



currere, sed solum eos Cardinales, qui post electum Pontificem communi duarum partium consensu, alium Pontificem receperunt: & eum, qui post predictam electionem, contra electum habet, ac gerit, perinde, ac si Romanus Pontifex esset. Et in *de ligatib. 23. q. 5.* solum statuitur, ut schismaticus excommunicetur, & dānetur. Vnde colligunt, nusquam ius Canonicum commune excommunicationem generaliter schismaticis irrogasse. Olim igitur, inquit, ante Constitutionem in *Cana Domini legi solitam, in schismaticis sententia excommunicationis ab homine ferebatur quidem, lata tamen à iure non erat.*

Veruntamen alijs videtur, olim iure communi excommunicationem esse in schismaticos constitutam: nam iure communi statutum fuit, ut schismatici deicarentur, ut constat ex *c. 1. & 2. de schismaticis, & cap. Ordinationes. 9. q. 1.* decernitur, ut ordinationes factæ à schismaticis Episcopis, pro irritis habeantur: hoc est, ut ordinati scienter à schismaticis, ab Ordinum officio, munere, functione, & vsu, ipso iure sint remoti, & exclusi. Quidquid sit, saltem olim schismatici excommunicari solebant.

Septimò Queritur, An schismatici in vniuersum sic vitandus à nobis, præsertim in Sacramentis recipiendis, & diuinis ministerijs exercendis. Respondeo, aut questionem intelligi de schismaticis euitandis, quatenus sunt vinculo excommunicationis obstricti: aut quatenus schismatici sunt, etià si nulla excommunicationis sententia ipso iure tenerentur. Si quæstio secundo modo intelligatur, tunc in vniuersum à consortio schismaticorum abstinere debemus, hoc est, ab eis Sacramenta suscipere iure non possumus. *c. Ordinationes 9. q. 1.* Si aut primo modo quæstio intelligatur, quamuis omnes schismatici sint ipso iure excommunicatione affecti, non tamen propterea sunt à nobis vitandi, ut excommunicati: quia ob Constitutionem in Concilio Constantensi, vel à Martino V. editam, vsu receptum est, ut duo tantum excommunicatorum genera deicere debeamus: eos nimirum, qui nominatim, vel expressim sunt denunciati, vel sunt notorii Clericorum percussores. Schismatici igitur, nisi nominatim denunciati sint, non sunt vitandi in communi consuetu civili.

Octauò Queritur, An schismaticus, eo ipso, quod talis est, sit irregularis: hoc perinde est, ac si quereretur, An schismaticus per poenitentiam, ab iurationem, & absolutionem criminis, fiat habilis ad Beneficia, Dignitates Ecclesiasticas, & Ordines: Crauetta in *consl. 293. nu. 10.* censet, sublato schismate per poenitentiam, & ab iuratione posse iure schismaticum eligi, ac si nunquam schismaticus fuerit. Cæterum cōtraria sententia est communi consensu iuris Canonici interpretu recepta, videlicet schismaticum etiam postquam ad Ecclesiam per veram poenitentiam redierit, esse irregularem, & ad Beneficia, & Ordines promoueri iure non posse ex *c. quia diligentia, de elect. & ex Hostiensis, Ioan. Andrea, Abbate, & Antonio ibidem, & ex c. Nos consuetudinem, dist. 12. c. e. Conuenientibus. 1. q. 7.* Quidam sentiunt, schismaticum occultè excommunicationem quidem contrahere, irregularitatem non item; quapropter, inquit, ab excommunicatione legitime absolutus, potest ad

Ordines Ecclesiasticos, Beneficia, & Dignitates promoueri. Si tamen schisma sit manifestum, vel euidencia facti, vel propria confessione in Iudicio, vel sententia Iudicis, cum sit crimen depositione dignum, & infamia notatum, inducit irregularitatem. Quare manifestus schismaticus incurrit in irregularitatem; tum quia schisma est crimen dignum depositione, tum etiam, quia infamia suam afficit auctorem. At verius existimo, schismaticum, eo ipso, quo schismaticus est, irregularitatem contrahere, quia extra Ecclesiam est. Ita Speculator in *tit. de dispensat. 9. Iuxta, versic. 14.* Raymundus in *Sum. verb. Schisma, vers. vlt.* Maiolus de *Irregular. lib. 5. c. 46. nu. 2.*

Nonò Queritur, An in schismaticis Episcopis, vel Clericis maneat Ecclesiastica potestas? Quæstio inde oritur, quia schismatici extra Ecclesiam sunt constituti, ergo nihil iuris, & potestatis habent. Item, non raro in iure Canonico legimus, schismaticos nihil potestatis spiritualis habere, *c. Nouatianus 7. q. 1. ex B. Cypriano dicitur: Quinec unitatem spiritus, nec communionis pacem obseruat, & se ab Ecclesie vinculo, atque Sacerdotum Collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest, nec honorem. Et c. Didicimus. 24. q. 1. idem B. Cyprianus: Didicimus, inquit, omnes omnino hæreticos, & schismaticos nil habere potestatis, & iuris, & c. Alienationes. 12. q. 11. dicitur: Alienationes factas ab intrusis, & Ordinationes Clericorum sine communi consensu irritas esse. Respondet S. Thomas 2. 2. q. 39. art. 3. Schismaticos iurisdictione carere. Non possunt, inquit, absolueri, nec excommunicare, nec indulgentias concedere. Sic ille. Et ita nequeunt eadem ratione eligere, Beneficia conferre, leges, siue constitutiones dare, vel ponere. Vnde si quos absoluant, vel eligant, absolutio, siue electio rata, & firma non est, & proinde iterada: habere tamen, ait S. Thomas, potestatem sacramentalem; quare Episcopus schismaticus verè cōsecrat, & consecrat Eucharistiam, verè confirmat, verè ordinar, cum aliquos ad Ecclesiasticos Ordines eligit, ac mouet, ab eo verè ordinis characterem recipiunt: non tamen Ordinis vsu, & functionem, quoniam sunt ipso iure suspensi, si scienter ab schismatico Episcopo ordinentur. Pari, aut simili ratione, si Episcopus schismaticus altaria, vasa, aut templa, aut vestes consecret, ratu est, & firmum, quod facit: quia hæc sunt Ordinis, non iurisdictionis, quamuis Episcopo ex Ecclesie auctoritate conueniant. SI QVAERAS, utrum hæc poena, qua schismatici iurisdictione priuantur, locum habeat generatim in omnibus schismaticis. Quidam aiunt, hanc schismaticorum poenam, qua iurisdictione priuantur, locum habuisse ante Concilium Constantiense, in omnibus manifestis, & notorijs schismaticis non occultis modo verò post illud, solum locum habere in ijs, qui sunt expressim, & nominatim denunciati, aut manifesti percussores Clericorum. Alijs probabilius videtur, vniuersè schismaticos, quatenus tales sunt, iurisdictione Ecclesiastica priuatos esse: eo quod sunt extra Ecclesiam, quia ipsi se ab Ecclesia diuiserunt.*

Decimò Queritur, An Græci, Armeni, & cæteri Orientis similes Christiani, qui Romani Pontificis imperiū recusant, sint solum schismatici, an verò etiam hæretici? Quidam existimant, Græ-



cos non solum schismaticos, sed etiam hæreticos esse, quia aliquid contra Romanam Ecclesiam sensum profitentur, & credunt. Sentiunt enim Spiritum sanctum ex Patre solum, non etiam ex Filio procedere. Deinde, Romanum Pontificem non esse totius Ecclesiam generalem Pastorem, in universam Ecclesiam, ius, & potestatem habentem. Præterea, non esse purgatorium ignem, quo animæ soluta corporibus ante ingressum in cælum, à peccatorum reliquijs, & pœnis expiantur. Postremò, iustorum animas in cælum admissas, ante generalis iudicij diem, clarè Dei faciem non cernere. Alij verò opinantur, eos solum esse schismaticos, non hæreticos. Schismaticos quidem, quia à Romani Pontificis iurisdictione, & potestate se subtrahunt, hæreticos non item, quoniam in prædictis Fidei articulis potius nomine, quam re, à Romana Ecclesia sensu dissentiant. Inficiantur enim illi, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, rati Latinos sentire à Patre, & Filio procedere tanquam à duobus principijs. Item, Procedere à Filio, & ex Patre, cum tamen Latina doceat Ecclesia procedere à duobus personis tanquam ab vno principio, & spiratore: & procedere à Filio; quia Filius per generationem accipit à Patre, quicquid Pater habet præter relationem, & originem, qua tanquam Filius à Patre distinguitur: & proinde sicuti Filius ex Patre per æternam generationem habet, quòd sit Deus; sic etiam ex Patre accipit potestatem, & vim, qua Spiritum sanctum vnà cù Patre spirat, & producit. Et ideo ad hoc significandum Græci dicunt: Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate.

Præterea eo etiam à Latinis Græci dissentent, quod contendunt, Latinos malè fecisse, errasseque, eo quòd sine ipsis, & absque totius Catholicæ Ecclesie Concilio generali addiderint particulam, *Filioque*, in Symbolo, quod à Concilio generali secundo Constantinopolitano editum fuerat: & postea Concilium Ephesinum, & Chalcedonense veterant, ne illi Symbolo aliquid aliud adderetur. Et propterea oportebat (inquiunt) totam Catholicam Ecclesiam cõuocari eius particulæ Symbolo apponendæ gratia, cum res esset Fidei ad omnes generatim spectans.

Nec dissentent omninò Romanum Pontificem Petri successorem in Ecclesia primatum à Christo Domino accepisse. Sed nihilominus profitentur totam Ecclesiam cum in generalem est Synodum coacta, maiorem potestatem habere in rebus Fidei, & cæteris, quæ ad generalem Ecclesie statum pertinent, definiendis: quæ fuit etiam sententia Gersonis, & Parisiensium Theologorum, nondum ab Ecclesia, tanquam hæretica generali decreto damnata.

Neque verò Græci Purgatorium ignem prorsus è medio tollunt, verè enim sacrificia, & preces offerunt Deo pro mortuis; non beatis certè, neque damnatis ad inferos, quod planè esset absurdum, & impium; ergo pro ijs, qui cum fide, & pietate hinc decesserunt, nondum tamen plenè pœnas peccatorum debitas persoluerunt. Solum id inficiari videntur, certum videlicet, & determinatum quandam locum expiandorum criminum, & certam ignis corporei pœnam.

Ad extremum, si fatentur Græci, iustorum animas iam in cælum receptas, clarè Dei faciem non videre, errat illi quidem, quemadmodum & alij qui ex veteribus Patres, qui id quoque tradiderunt: Sed error est is absque pertinacia, sum nequaquam sibi persuadeant contrarium Ecclesiam Catholicam profiteri. Quicquid autem sit de hisce Fidei articulis, in quibus multi Græci, & alij Orientales fortassis mala fide errant, & proinde hæretici sunt, Græcos tamen non hæreticos, sed schismaticos passim vocamus, quia morem loquendi pristinum retinemus. nã initio Græci per schisma sese à Romana Ecclesia sæpius diuiserunt, & processu temporis hæreses in Ecclesiam iniecerunt. Objicies, Græcos in Sacramentis à Latinis plurimum differre. Respondeo, hæreticum quiddam esse, qui aliter, quam Romana Ecclesia de Sacramentis sentit, & credit. *c. ad abolendam, de heresi.* Sed Græci de numero Sacramentorum idem planè, quod Romana Ecclesia, profitentur, & sentiunt: at verò dissident à Latinis, in ritibus, & cæremonijs conferendi, & recipiendi Sacramenta: neque eos ritus Ecclesia Latina damnauit, vt cõstat manifestè.

Vndecimò Queritur, in quam pœnã iuris incurrant, qui ad Ordines Ecclesiasticos, & Beneficia à schismaticis promouentur? Respondent quidam *ex c. 2. de schismaticis*, eos excommunicatione affici, & Beneficijs obtentis priuari, si scienter, & spontè ab eis Ordines, & Beneficia receperint, vbi dicitur, *Ordinationes ab heresiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus, alijcientes, vt qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos ceperint, careant imperpetuum.* Irritæ esse dicuntur ordinationes, non quod ijs, qui ordinantur characterè ordinis non recipiant, sed quod vltimò, & functionè Ordinis iure non habeant. Alij sentiunt schismaticos olim ipso iure excommunicatos non esse, sed excommunicandos, & eos item, qui ordinantur ab eis, non esse excommunicatos, sed suspensos ab vltimò, & functionè Ordinis: de quo dicam alibi.

Animaduertendum itidem est, hoc esse ius antiquum, iuxta quorundam sententiam: inquit enim, post Cõcilium Constantiense non omnes schismaticos deuitare debemus, nisi nominatim, vel expressim denunciatos, aut manifestos Clericorum percussores: ac propterea si quem alij schismatici, vel ad Ordines, vel ad Beneficia prouehant, is pœnas iuris prædictas non contrahit. Alijs probabilius videtur, generatim quotquot scienter ordinantur à schismaticis manifestis, esse ipso iure suspensos, ab vltimò, & functionè ordinis, de quo alibi dicam.

Duodecimò Queritur, An valeant, quæ publicè faciunt schismatici? De hac questione Abbas, Ioannes Andr. Innocentius, Hostiensis, & alij *in c. 1. de schismaticis*. Questio intelligitur de ijs, quæ schismaticus facit ratione publici officij, & muneris, quo fungitur. Innocentius respondet: *Si schismaticus Sacramenta ministrat, quæ characterem impertunt, & formam Ecclesie seruet, valere quidem Sacramenta, quæ confert, sed eò, qui recipit, eorū vltimò, & functionè priuari, quando ordines suscipit: si verò alia Sacramenta det, ea simpliciter valere. Quæ etiã ratione cætera, quæ ratione publici officij, & muneris publici præstat, rata sunt, & firma, quandoque; occultus est schismaticus, non tamen quòd est manifestus.*



manifestus. At verò alij dicunt hoc, quod Innocentius, & ceteri docuerunt, locum habuisse in schismaticis ante Concilium Constantiense post Constantiense Concilium, inquit, cum schismaticos non oporteat vitare, quamvis sint manifesti, consequens est, ut ea, quæ faciunt ratione publici muneris, & officii, valere censeantur, nisi fuerint nominati, vel expressim denunciati, aut percussores Clericorum notorii.

## Caput XXI.

## De Apostatis.

**Primo** Queritur, Quid significetur nomine Apostata? Respondeo, Apostata nomen esse Græcum, quo significatur is, qui recedit ab instituto vitæ prioris, quod tuendum publica, & solenni professione susceperat. Unde Apostata Græcis idem est, qui Latinis Desertor, vel Transfuga: is nimirum, qui à principe, vel duce suo ad hostes transfugit, qui à Christianis ad Ethnicos, Iudæos, vel Saracenos se confert.

**Secundo** Queritur, Quotplex sit Apostata? Respondeo: cum Apostata sit instituti prioris suscepti desertor, consequi triplicem esse Apostatam, nimirum susceptæ religionis desertorem, & eum, qui à Clericorum statu recedit: & qui à susceptæ fidei, & religionis Catholicæ professione desecit. In præsentia tamen Apostata accipitur pro nefario, & impio Catholicæ fidei desertore.

**Tertio** Queritur, An Apostata sit idem, qui hæreticus? Dux sunt opiniones: Prima est, quorundam asserentium, Apostatam non esse hæreticum, & proinde Apostasiam esse peccatum infidelitatis, seu impietatis, specie ab hæresi distinctum. Quod probant primo, quia hæretici, teste Augustino lib. de ciui. d. cap. 1. sub nomine Christiano doctrinæ resistunt Christianæ: sed Apostata, nomine Christiani non sunt. **Secundo**, quia docet S. Thomas 2. 2. q. 12. art. 1. ad 3. Apostasiam non esse speciem infidelitatis distinctam à cæteris, sed habere circumstantiam augmentem infidelitatis prauitatem. **Tertio**, quia hæreticus ex parte tantum desecit à Fide Catholica. Apostata verò Fidem ex toto deserit. Præterea, Apostata aliquando ad Paganismum, aut Saracensismum, aliquando ad Iudaismum transit, & tamen hæreticus, nec Iudæus, nec Saracenus, nec Paganus euadit. Sic videntur sentire Siluest. verb. Hæresis. 1. quest. 11. Turcremata in summa lib. 4. par. 2. c. 13. Canon lib. 12. de loci Theolog. cap. 9. ad 2. Simacas. de Cathol. institut. tit. 7. num. 5. Secunda opinio docet, Apostasiam non esse peccatum ab hæresi specie distinctum, sed esse duntaxat circumstantiam augmentem deformitatem, & turpitudinem criminis: nam ab hæretico solum distinguitur Apostata, quod Apostata ex toto recedit à Fide Catholica, hæreticus ex parte: at maior, aut minor recessus à Fide, quam quis semel est professus, speciem non mutat. A Paganismo verò differt Apostasia, quod Paganus contradicit Fidei, quam nullo modo ante susceperat: Apostata repugnat fidei, quam fuerat ante, re ipsa professus: Iudæus verò contradicit Fidei, quam in typis, vmbis, & figuris ante tenuerat. Ita docet Alphonsus Castrensis lib. 1. de

instita heret. punir. cap. 17. Caiet. 2. 2. q. 10. art. 15. q. 11. art. 1. & Bannes 2. 2. q. 12. artic. 1. Hæc opinio magis mihi probatur. nam S. Thomas 2. 2. q. 10. artic. 5. docuit tantum esse tres species Infidelitatis, Paganismum, Iudaismum, & Hæresim. Deinde, quia ibidem species infidelitatis distinguitur ex eo, quod infidelis renititur, & contradicit Fidei: at tribus tantum modis ratione formæ, non materiæ potest quis reniti Fidei. Aut enim contradicit Fidei, quam ante re ipsa fuerat professus, & hic est hæreticus: aut repugnat Fidei, quæ in typis, vmbis, & figuris receperat, & hic est Iudæus: aut obstitit, & reluctatur Fidei, quam ante nequaquam susceperat, & hic est Paganus. Tertio, quia Infidelitatis species non distinguuntur ex hoc, quod sint varij, & distincti contra Fidem errores: alioqui enim hæreticorum essent species diuersæ. Item, Paganus inter se specie differret, quoniam diuersi sunt eorum errores. Quarto, quia hæreticus, & Apostata non differunt, nisi quia hæreticus Fidei quam ante susceperat, negat ex parte, & Apostata negat ex toto.

Ad argumenta verò primæ sententiæ facile respondetur. Nam hæreticus, & Apostata, nomine, & accidenti tantum differunt, non specie, & hinc est, ut Apostatam, hæreticum non vocemus, quia hic resistit Fidei ex parte, ille ex toto. Hinc etiam est, ut S. Thomas dixerit Apostasiam non esse Infidelitatis speciem distinctam à reliquis, quia reuera Apostata est idem, qui hæreticus. Pari ratione Apostata, quia ex toto Fidem deserit, dicitur fieri Paganus, Saracenus, vel Iudæus, cum Paganismum, Saracensismum, vel Iudaismum profiteatur: non quia non sit hæreticus: sed quia à Fide ex toto deficiens sit professione Paganus, Saracenus, vel Iudæus: at reuera non desinit esse hæreticus, quia resistit Fidei, quam fuerat antea re ipsa professus, quod in Pagano, vel Iudæo locum non habet.

**Quarto** Queritur, Quot quibusque modis possit quis esse Apostata? Respondeo, tribus. Primo, quando quis mente sola recedit à Fide Catholica: & hic iuris pœnas non contrahit: quia est peccatum interne tantum patratum. **Secundo**, quando quis externe verbis, & factis fidem Catholicam deserit: & hic potest esse penitus occultus, ita ut crimen eius nemo nouerit: vel manifestus, quia id plures alij compertum habent. Quomodo cumque autem crimen sit, siue occultum, siue manifestum, excommunicatione, iure ipso, auctorem suum afficit. **Tertio** modo potest quis esse Apostata solum exterior, qualis est, qui verbis, vel factis, non tamen animo desecit à Fide Catholica.

**Quinto** Queritur, An Apostata exterior, qui metu malorum, videlicet mortis, seruitutis, perpetui carceris, tormentorum, Fidem Catholicam abnegat absque vlllo in Fide mentis errore, pœnas mereatur Apostata? Respondeo, in foro exteriori eum Apostatam censeri, & proinde tanquam talem puniri: In foro tamen interiori, siue conscientiæ, non esse propriè Apostatam, quia voluntate, & animo non recedit à Fide Catholica. **Quæres**, quod igitur peccatum est hæc Apostasia? Resp. esse quidem peccatum lethale, quamuis metu mortis Fidem quis abneget: est enim



per se malum, fidem, & religionem Christianam verbo, aut facto deserere. Vnde peccatum est nō quidem contra Fidem, sed contra confessionem Fidei: nam & animo credere, & ore profiteri Fidem Catholicam debemus. Porro, qui ore tenus Fidem tantum abnegat, quamvis metu mortis, sponte tamen abnegat, & proinde grauius peccat: neque enim mortis metus iustam excusationem dat in ijs, quæ sunt per se mala, vt est cōmunis omnium sententia.

**Sexto** Queritur, An Apostata exterior in excommunicationem incurrat, si verbo tantum, vel facto, non animo metu poenarum, & mortis, à Fide deficiat? Dux sunt opinionēs: Prima est quorundam afferentium eum excommunicationem contrahere, Apostatis, siue hæreticis à iure irrogatam. Ratio eius triplex est. Primò, quia Ecclesia eum tanquam Apostatam punire consuevit. Deinde, quia Ecclesia poenas constituit ob exteriora crimina, quoniam habet ius cognoscendi, condemnandi, & vindicandi huiusmodi delicta. Postremò, si Ecclesia excommunicationem ferret in iures, homicidas, adulteros, satis esset ad eam contrahendam opus exterius scienter factum.

Secunda opinio communi est consensu recepta, eum in foro conscientie non affici excommunicatione, quam contrahunt hæretici, & Apostata: in foro tamen exteriori censerentur Apostatam, & proinde merito tanquam hæreticum, & Apostatam puniri. Ita in Direct. Inquisit. p. 1. q. 9. comment. 2. 4. & citantur Simancas de Cathol. Inq. in. tit. 17. num. 39. Albertinus in repet. Rubr. de heret. lib. 1. c. 4. q. 13. nu. 67. & Conradus Brunus, de heret. lib. 1. c. 4. Sed clarius Silu. Apostata q. 1. Angel. Apostata q. 9. Tabien. Apostasia q. 3. Rosel. Apostasia nu. 1. Hæreticus nu. 4. Et hæc est verior opinio: quoniam hæreticus, aut apostata nemo est, nisi scienter, & spòte animo à Fide, & Religione Catholica discedat. Punit verò Ecclesia eum tanquam hæreticum, vel Apostatam, quia probabiliter credit cum mente, atq; animo à Fide recessisse. Eadem ratione delicta exteriora cōdemnat, & plectit, vel quia sunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur, qualia sunt homicidium, adulterium, sacrilegium, cuiusmodi non est hæresis, vel Apostasia: vel quia probabiliter iudicat Ecclesia voluntate, & animo delinquere eos, qui scienter exterius aliquid admittunt, quod cū Fidei Catholice confessione pugnat.

**Septimò** Queritur, quæ poenæ in Apostatas à iure sint cōstitutæ? Respondeo eidem poenis Apostatas subijci, quibus subijciuntur hæretici. Ita Hostiensis, Ioannes Andreas, & Abbas in c. 1. Apostatis, quoniam vtrique à Fide Catholica, quæ sunt re ipsa professi, recedunt. Vnde rectè docet Raymundus in de Apostasis. 6. Reuerentes redeunt ab Apostasia perfidia puniri debere tanquam hæreticos. Idem Silu. Angel. Tabien. & Rosella in verbo Apostata, siue Apostasia.

**Octauò** Queritur, An irregularitatem contrahant Apostata? Respondent aliqui, eum, qui talis exterius est, occultus tamen, in excommunicationem incidere, & proinde quamdiu ab excommunicatione non soluitur, ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica promoueri nō posse: à sententia tamen excommunicationis absolutū posse, & Or-

dines, & Beneficia recipere, quia nullā irregularitatem contraxerat. Quando verò est Apostata manifestus siue facti euidentia, siue propria confessione in iudicio, siue sententia Iudicis, est irregularis effectus: quoniam Apostasia est crimen depositione dignum, & proinde quando est notorium, infamia, & irregularitatem inducit. Sed dicendum existimo, Apostatam, cum reuera sit hæreticus, irregularitatem contrahere ipso iure, etiam si fuerit occultus: nam, vt supra dixi, hæretici, & schismatici ipso iure sūt irregulares: quare Apostata etiā per veram mentis poenitentiam, & abiurationem absolutus à crimine nequit ad Ordines, aut Beneficia promoueri citra Romani Pontificis auctoritatem. **QVAERES**, an prædictam etiā irregularitatem contrahat, qui est Apostata solo verbo, vel facto metu poenarum, vel mortis, non voluntate, & animo? Resp. non contrahere, nisi fuerit manifestus: quoniam vt paulo ante dixi, hic non est verè Apostata; & ideo non contrahit irregularitatem, qua Apostata afficitur ipso iure; sed ex alio capite sit irregularis, quatenus crimen admittit, ob quod aliquis, iure ipso, sit infamis, aut ab officio amouetur. Nam non solum Apostasia proueniens ex animo irregularem, ipso iure, suum efficit auctorem; sed etiam Apostasia, quæ in solo verbo, vel facto consistit, quando est manifesta: vtraque enim Apostasia, deponit, quam vocant, dignū est crimen. **QVAERES** deinde, quid si Titus tanquam de Apostasia suspectus, abiurauerit, hoc est iureiurando execratus fuerit, & damnauerit omnē hæresim, an eo ipso, factus sit irregularis, ita vt nec ad Ordines, nec ad Beneficia possit promoueri? Resp. idem iuris esse de huiusmodi Apostata, quod est de eo, qui vt suspectus iureiurando detestari in iudicio cogitur omnem hæresim. Vterque post abiurationem, ob suspicionem vehementem Apostasia, vel hæresis, irregularitatem contrahit, aut saltem tanquam irregularis habetur.

**Nondò** Queritur, an Apostata ad Fidem, & Religionem Catholicam ex animo rediens, recipi debeat? an verò potius capite puniri? Sunt enim, qui sentiant, inter quos est Arelatanus in trad. de heret. notab. 4. 4. & Maech. in Constit. Sicilie tit. 3. eum non esse ad veniam criminis admitendum; sed morte mulcandum, quia id ius civile iubet, & contrarium non est iure Canonico constitutum. **Respondeo**: quod attinet ad poenas Apostate, ius civile non omnino cum iure canonico conuenire, sed in duobus differre. Nam primū, si hi qui sanctam, c. de Apostatis, statutum est ab Imperatoribus Theodosio, Valentiniano, & Arcadio, vt eorum in statum pristinum Apostate reuertantur, nec poenitentiam horum obijerit poenitentia; lapsi enim, & erroribus subuenitur: perditio verò, hoc est, sanctam Basilicam pollutentibus, nullo remedio poenitentia (qua solum ceteris criminibus patrocinari) succurrit. Hæc ibi. Quibus verbis lex, Apostatas etiam per poenitentiam redeuntē excludit, & repellit à venia peccati. At vero ius Canonicum quoslibet Apostatas, si eos sui peccati poeniteat, ad Ecclesiam redeuntē, admittendos esse, cōcedit. Conciliū n. Eliberinū c. 4. de Apostatis. ita cōstituit: Si quis, inquit, fidelis apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit; si tamen aliquando redierit, nec fuerit idololatra post decem annos, placuit eū



ad communionem admittere. Concilium item Arelatense  
l. c. 23. de ijs, qui apostatant, & postea infirmitate correpti  
perant communionem, placuit eis non dandam, nisi reuoluerint,  
& egerint fructus dignos penitentiae. Et cum Apostasia  
sit crimen Ecclesiasticum, de eo Ecclesiae Cano-  
nes, & Decreta, ac Cōstitutiones sequi debemus,  
non leges ciuiles. Direct. Inquisit. p. 2. q. 49. comm. 7.  
7. 4. Sim in de Cathol. institut. tit. 7. nu. 4. Alphonf. lib.  
1. de iust. h. h. c. 23. Deinde, eos qui c. de apostasia  
constituit, Clericos, & Monachos, qui relicto  
orthodoxae religionis cultu sunt haeretici effecti,  
omnino esse extra Romani Imperij ditionem re-  
pellendos. At uerò cum haeresis, uel Apostasia sit  
crimen Ecclesiasticum, id est, de quo solus iudex  
Ecclesiasticus cognoscit, ut constat ex c. Vi inquisi-  
tioni, de haeres. in 6. Consequitur, ut in Clericos, &  
Monachos, imò etiam in Laicos haereticos Eccle-  
siastici, & sacri tantummodo Iudices inquirere,  
& animaduertere queant. Olim uerò Impe-  
ratores Catholici (quales fuerunt Constanti-  
nus, Theodosius, Valentinianus, Gratianus, Ar-  
cadius, & Honorius) leges sanxerunt in haereti-  
cos, & Apostatas, tum Clericos, tum Laicos, quia  
nondum Ecclesia suo iure pleno, & libero uteba-  
tur hoc est, nec Clerici erant Imperij ditionem re-  
empti à iurisdictione, & legibus Principum ciui-  
lium, nec quorundam criminum causa ad Iudi-  
ces Ecclesiasticos deferrebantur: & ipsi Principes  
leges de Clericis, & Ecclesijs ferebant.

Decimo Queritur, An Episcopi, & Inquisito-  
res ius habeant inquirendi in eos, qui Religioso-  
rum institutum, & regulam, quam sunt professi,  
deserentes, publicè matrimonium contrahunt?  
Respondeo, eos ius habere in istiusmodi homi-  
nes tanquam in suspectos de haeresi, ut tradunt Io-  
annes Anania, Abbas, Calderinus, & alij, quos  
omnes refert Simanc. de Cathol. institut. tit. 40. nu. 8.  
atque hoc locum habet, tum etiam in ijs, qui in excom-  
municatione, qua sunt affecti ex c. Vi periculosa, ne  
Clerici, uel Monachi, in sexto, obdurato animo per an-  
num inforauerint, tum etiam in ijs, qui antequam  
annum in excommunicatione compleuerint, ad  
nuptias transferunt.

Vodecimo Queritur, An etiam Episcopi, &  
Inquisitores possint animaduertere in Clericos  
sacris Ordinibus initiatos, se matrimonio copu-  
lantes? Respondeo, posse in eos tanquam de Fide  
suspectos inquirere, & animaduertere. Simancas  
de Cathol. institut. tit. 40. num. 12. & Bernardinus  
Diaz in sua Praeſtica criminali, cap. 27.

Duodecimo Queritur, An hoc ius inquirendi  
in Regulares, & Clericos, conueniat Episcopis,  
& Inquisitoribus in eos solum Monachos, uel  
Clericos sacris Ordinibus initiatos, qui publicè  
matrimonium contrahunt, an etiam in eos, qui  
occultè Abbas, Anania, Felinus, & cōmunis opi-  
nio teste Simanca loco citato, sentiunt tantum age-  
re posse in eos, qui publicè contrahunt, quoniam  
hi, eo ipso, suspecti sunt de haeresi. At Simancas  
de Cathol. institut. tit. 40. nu. 9. cōtendit, etiam in eos,  
qui occultè contraxerunt. Opinio prima  
magis cum iure congruit: Secun-  
da uerò, vsu est recepta,  
praesertim in His-  
pania.

## Caput XXII.

De obstinata Iudaeorum perfidia, & ijs,  
qui è Christianis ad Iudaeos nefa-  
riè, & impiè transcunt,  
uel redeunt.

Primum illud queri solet, in quor, & quibus  
casibus sit interdicta Christianis communio  
rerum cum Iudaeis? Respondeo, ex c. Nullus; & cap.  
Omnes, 28. quae 1. colligi decem casus. Primò, pro-  
hibentur Christiani habitare simul cum Iudaeis.  
Secundò, ad eorum conuiuia accedere, uel eos ad  
nostra inuitare conuiuia; & unà cum eis cibum  
capere. Tertio, simul cum eis in balneum intrare,  
& in eo se lauare. Quarto, eos uocare infirmi-  
tatis causa, hoc est, Iudaeos, ut medicos accersere  
ad Christianorum morbos curandos. Quintò, ab  
eis medicinas recipere. Sextò, eorum filios in su-  
is domibus nutrire. Septimò, eis famulatu praesta-  
re. Octauò, seruitutis vinculo eis subijci. Nondò,  
eos publicis officijs fungi inter Christianos. De-  
cimò, uelci eorum azymis. Vnde in c. Nullus. 28. q.  
1. sic habetur: Nullus eorum, qui in sacro sunt Ordine cō-  
stituti, aut Laicus azyma Iudaeorum manducet, aut cum  
eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis uo-  
cet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo se  
lauet. Si uerò quisquam haec fecerit, si Clericus est, deponatur:  
Si Laicus, excommunicetur. Et in cap. Omnes. 28. q. 1.  
dicitur: Omnes Clerici, siue Laici Iudaeorum conuiuia ui-  
tem: nec eos ad conuiuia quisquam excipiat: quia cum apud  
Christianos communibus cibis non uiuantur, indignum, atque  
sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi, cum ea, quae  
Apostolo permittente nos sumimus, ab illis indicentur in-  
munda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Iu-  
dæi, si nos, quae ab illis apponuntur, uiuantur, illi uerò à nobis  
oblata contemnant. Hæc ibi.

Secundò queritur, An Christiani grauius pec-  
cent, cum Iudaeis communionem praedictorum  
habendo? Respondeo, eos peccare grauius, nisi  
ex leuitate materiae peccatū excusetur: quoniam  
in c. Nullus, dicitur: Si Clericus est, deponatur: Si Laicus,  
excommunicetur: quæ poenæ non nisi ob grauè cul-  
pam delinquentibus infliguntur. Praeterea hæc  
Christianis interdicitur ob periculū perfidia,  
quod imminet ex frequenti, & assidua familiari-  
tate cum Iudæo.

Tertio Queritur, An cibum cū Iudæo sumere,  
sit absolute, & simpliciter lethale? Angelus, &  
Rosella in uerbo, Iudæus. Sentiunt esse quidem le-  
thale, quando Iudæus inter edendum cibos dis-  
cernit: quod ostendere conatur ex cap. Omnes, cita-  
to. Siluester uerò in uerbo Iudæus. absolute, & sim-  
pliciter, ait, esse lethale, etiam si Iudæus māducet  
absque ullo delectu ciborū: & postea citat Inno-  
centium, Ioannem Andream, Goffredum, Rayne-  
rium, Beatum Antoninum, & auctorem supple-  
menti, & Pisanæ. Probat ratione: quia non inter-  
dicitur Christianis cibum cum Iudæo sumere ob  
discrimen, quod in cibis seruat Iudæus, sed ad ui-  
randam familiaritatem, ex qua peccati periculū  
creatur. Sed profectò in cap. Omnes. potius habetur  
ratio delectus ciborum, quam familiaritatis, &  
periculi. Si Querat, an Christiano liceat à Iudæo

accipere



accipere eos cibos, quos ipsi discernunt, abijciunt, & alpernantur, ut postea absque vilo Iudæorum consortio ijs vescatur? *Respondeo*, non licet: quoniam tamen canones, & iura vetent, cum Iudæo cibos sumere ad vitandam eius familiaritatem; nihilominus tamen etiam id prohibent, ne Iudæi Christianis superiores esse videantur. Hoc autem sequatur, necesse est, si Christiani eos cibos accipiant, & edant, quos Iudæi rejiciunt, respiciunt, atque contemunt. Porro non solum interdictum est Christianis ad Iudæorum epulas accedere; sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, synagogas, & cum eis ludere, & quod detestabilius est cum eis choreas agere: videlicet interdictum est eorum synagogas frequentare.

*Quarto Queritur*, An fas sit Christianis in mercibus emendis, & vendendis, cum Iudæis contractus inire? *Respondeo*, non esse interdictum aliquid Iudæis vendere, vel ab eis emere, sicuti nec cum eis colloqui. Nam in *c. Post miserabilem, de Iuris*, statutum est, ut Iudæi possint compelli ad vsuras restituendas Christianis, à quibus acceperant, eas repetentibus. Quod si non reddant, arceantur à consortio Christianorum. Ergo antequam hac pena plectantur à Iudæis, non est eis iure interdictum cum Christianis colloqui, aut mutua inter ipsos mercium venditio, vel emptio. Sic Abbas in *cap. Post miserabilem, de Iudæis*. Iure tamen prohiberi potest, ne Iudæi emendi, vel vendendi gratia domos Christianorum ingrediantur, aut ne Christiani Iudæis aliquid vendant, vel emant ab eis in eorum domibus, ne aliqua inter Christianum, & Iudæum familiaritas intercedat, ne in diebus festis Christiani cum Iudæis emptio, venditio, vel alio nomine contractus inent.

*Quinto Queritur*, An Christianus iure possit medicinas emere à Iudæo, Ius enim prohibet accipere medicinas à Iudæo, nihil tamen statuit de emendo, quoniam donatio suapte natura solet benevolentiam, & amicitiam conciliare inter homines, venditio, & emptio non item. Iura verò familiaritatem Christiani cum Iudæo vetat, ac dirimunt. Angelus respondet ius esse Christianis emere à Iudæis medicinas, non quidem ex toto; sed ex parte tantum, videlicet iam præparatas. *Silvester Glossam* secutus absolute concedit fas esse emere: quia Ius ad familiaritatem vitandam, prohibet ne Christiani à Iudæis medicinas accipiant, nimirum vltro oblatas, vel datas.

*Sexto Queritur*, An Christianus tuta conscientia vendat agnum Iudæo, quem novit emere ad eum finem, ut ritu, & more suo iudæico eum in Paschate mactet, & edat? Arboreos item ramulos, quibus scit Iudæum in suis festis diebus esse vsurum? Quidam censent nefas id esse, quoniam occasio datur Iudæis suos ritus iudæicos servandi, & colendi, in quibus modò peccant. Præterea, quia is, qui consentit in peccatum alterius, aut operatur cum altero in eo, in quo peccat, eo ipso, delinquit. Postremò, quia alioqui fas esset, vendere gladium, aut venenum furioso vel amentis, quando venditor sciret eum vsurum gladio in necem alicuius, aut etià in sui ipsius perniciem, & interitum.

*Contra alij sentiunt* id liberum esse cuique facere, quoniam non eo ipso Christianus qui ven-

dit, consentit in peccatum Iudæi, aut operatur quidem cum eo re empta, male & perperam vendente. Nec item peccandi ei præbet occasionem, quia Iudæus alioqui certò statuerat emere ad suos iudæicos ritus, agnum, atque ramulos arborum. Mihi quidem videtur id in primis dicendum, nefas esse Christiano ea vendere Iudæo ad iudæicas ceremonias peragendas, hoc est, in eum finem, ut eis abutatur: tunc enim is vendentis affectus esset depravatus: & de hoc nulla est controversia. Deinde, ius est Christiano ea vendere Iudæo, cum ignorat, sit necne eis abusus Iudæus, & de hoc etiam nihil dubitatur. Ad extremum, non licet Christiano vendere Iudæo rem, cuius usus est per se malus, aut quæ per se ad ritus iudæicos refertur, aut in eum finem, ut iudæicis ritibus inferuiat. Vnde nefas est, Christiano, ut facile colligitur ex *S. Tho. 2. 2. q. 109. ar. 2. ad 4. & Ca. ic. ibi. & Maiore. 4. d. 15. q. 15. s. 3. vers. arguitur*, vendere Iudæis lapides, ligna, calcem, & similia, ad eum finem, ut synagoga ædificetur, nam sicut per se malum est idolorum fana, aut Saracenorum delubra construere; sic etiam abrogata per Christi mortem lege Moysis, malum est synagogas Iudæorum extruere ad ritus, & ceremonias iudæicas servandas: & nefas est Christiano suam operam locare ad synagogas extruendas, in quibus iudæici ritus observentur. Item, res prædictas vendere Iudæis, ut synagogas ædificent, nobis non licet: quia et si res sunt indifferentes, quæ venduntur, malum tamen est eas vendere, ut synagoga extruantur. Vnde liberum Christianis est vendere ad alias domos ædificandas, etiam si noverint Iudæos eas emere ad synagogas construendas. *Not* item, vendere licet ad synagogas veteres reficiendas, aut succedendas, ut quæ ruino sæ iam sint: quoniam et si has Ecclesia reficere, ac munire permittit, ne collabantur, ac ruant, peccant tamen Iudæi, cum veteres reficiendo, aut muniendo synagogas, tum novas extruendo, aut penitus collapsas, vel dirutas denudò ædificando. Ergo Christiano non licet ea vendere in eum finem, ut Iudæi veteres synagogas reficiant, aut muniant, & succedant. *Omnia igitur præfens controversia in iudicibus consistit. Primo*, an peccet Christianus, si res per se indifferentes vendat Iudæo, quem scit malè eis vsurum? Et probabilius existimo cum secunda opinione, eum non peccare, quia rem vendit sua natura indifferentem, quæ liberum est Iudæo, bene uti, vel male: nec ad male utendum, inducitur verbo, vel facto, quoniam Iudæus sponte sua male uti constituerat illa re sibi vendita. Deinde, ex eo quoque præfens quaestio pendet. Debeat ne Christianus exquirere, ad quos usus rem emant emptores. Et quidem ego crediderim ad id minimè Christianum adstringi: ad hoc enim faciendum venditor nulla lege, vel iure compellitur: dummodo rem vendat per se indifferentem, & mediam: quoniam liberum sibi est res suas, alioqui bonas, vel indifferentes vendere. Quod si eam diligentiam adhibere venditorem cogemus, sanè graue nimis, ac molestum idonus ei videretur: quemadmodum multis in locis, de alijs id genus rebus idem planius apparebit. *Obijcies*, saltè Christianus lege charitatis debet peccare volentè proximū, à peccato, quoad eius



fici potest, auertere. Respondeo, nihil argumen-  
tum conficere; cum Iudæus ex deprauato animi  
affectu peccet, & Christianus iacturam, & detri-  
mentū patiat, si res suas, quas venales habet, nō  
vendat, nulla obligatione, etiam charitatis, co-  
gitur emptoris peccatū impedire. Aliud verò est  
si Christianus vendat gladium, aut venenum Iu-  
dæo, quem nouit ijs vsurum ad suam, vel alienam  
perniciem, & exitium; tunc enim lege charitatis  
impedire debet id damni, & incommodi.

Septimò quæritur, An Christianis liceat ser-  
uire, & famulari Iudæis extra eorum domos? Pu-  
tat Hostiensis id fas esse Christianis, eo ductus ar-  
gumento, quòd in c. Iudæi, de Iudæis. Solum inter-  
dicitur Christiano seruire Iudæo in eius domo.  
Negat verò Abbas id facere licere Christianis, si  
famulus sit assiduus, aut diuturnus: inde per-  
suasus, quoniam in c. Ad hæc, de Iudæis, interdicitur  
Christiano simpliciter omni familiaritate fre-  
quenti, & assidua cū Iudæo. Alijs tamē visum est,  
absolutè non licere Christiano id famulari, &  
obsequij præstare Iudæo, siue in domo, siue ex-  
tra domum, siue frequenter, siue rarò: quia, du-  
plici de causa hoc iura piè, & prudenter vetuisse  
videntur, tum ne familiaritas contrahatur: tum  
etiam ne Iudæi Christianis superiores esse vide-  
antur: Ne, inquam, filius liberæ seruiat filijs ancil-  
læ, vt cū iure ipso canonico ex Pauli doctrina lo-  
quamur: Et huic sententiæ ego libetius subscribo.

Octauò quæritur, An Christianus mercede cō-  
ductus possit citra peccatū, suas operas locare Iu-  
dæo? Respondeo, per Canones, & iura non pos-  
se, quādo Iudæi sunt præsentēs, quia sic illis quo-  
dammodo inferuiret Christiani, id quod iura  
vetuerunt. Quando verò sunt absentes Iudæi, iu-  
ra permittunt, c. Multorum, de Iudæis: vt si Christia-  
nus colat agros Iudæi. Vnde colligit Siluester ex  
eodem cap. Multorum, esse Iudæo permissum, habere  
Christianum hominem colonum adscriptitium,  
vel originarium, non tamen seruum.

Non est item iure interdicitum Christiano, res  
suas locare Iudæo, nimirum currus, boues, vel iu-  
menta ad onera transportanda, & ad aliquid ali-  
ud faciendum.

Nonò quæritur, An Christianis foeminis lice-  
at nutricum officium obire in Iudæorum infan-  
tibus educandis extra eorum habitationem? Id  
affirmat Zabarella ex c. Ad hæc, de Iudæis: vbi solū  
prohibetur, ne nutriendis in domibus eorū. Ioan-  
nès verò Andreas, Anton. Butrius, & Abbas id fas esse  
simpliciter negant, siue in domibus, siue extra do-  
mos ipsorum: quod puto probabilius; id enim iu-  
ra vetant, tum ob familiaritatem cum Iudæis ca-  
uendam, tum ne Christiani eis inferuire videan-  
tur, & vt inferiores famulari.

Decimò quæritur, Quæ nā Iudæis Christiano-  
rum Principū potestati, & imperio subiectis, tum  
iure ciuili, tum canonico sint interdicta? Respon-  
deat c. Ex specialibus, & c. cum sit, de Iudæis, interdici-  
tur Iudæis, ne aliquo officio publico fungantur  
inter Christianos. Imò in eod. c. Ex specialibus, cōstituit  
Gregorius IX. scribens Asturicensi, & Lucensi  
Episcopis, vt si fortè illustri Portugallix Rex  
redditus suos Iudæis viderit, vel Paganis, Chri-  
stianam deputet grauaminibus inferendis Cleri-  
cis, & Ecclesijs minimè suspectis: cuius opera lu-

dæi, siue Saraceni, siue vlla Christianorū iniuria,  
iura regalia consequantur. Et l. Hac valitura, c. de  
Iudæis. Sancitum est, ne Iudæi apud Christianos,  
honore, dignitatem, vel administrationē aliquā  
obtinant. Quòd si obijcias, l. Generaliter, §. Et si qui,  
ff. de Decurionibus, vbi statuitur, vt qui iudicā super-  
stitutionem sequuntur, honores adipisci permittā-  
tur. Respondeo, Glossam has duas leges cōcilia-  
re, diceado, per legem Codicis esse correctā legē  
Digestorum. Sed faciliè nos argumentum dilui-  
mus. Nam in l. Generaliter, Iuriconsultus affirmat  
id constituisse Imperatores, videlicet L. Verū, &  
Antoninum, quos, cum Ethnici essent, mirandum  
non est ad honores admisisse Iudæos. At verò legem  
Codicis, Hac valitura, Imperatores Catholici  
Theodosius, ac Valentinianus cōdidere; qui pro-  
pterea ab honoribus, dignitatibus, ac admini-  
strationibus eos exclusos esse voluerūt. Deinde,  
prohibentur Iudæi nouas synagogas extruere, c.  
Consuluit, & c. Iudæi, de Iudæis, & l. Hac valitura, c. de  
Iudæis. Permittitur tamen eis, antiquas retinere,  
easq; reficere, quæq; ruinā, & casum minitantur,  
fulcire; dummodo tamē eas solummodo in pri-  
stinum statum restituant, non aut ampliores, ca-  
paciores, magnificentiores esse reddāt, & ornatio-  
res, eod. c. Consuluit. Quod si penitus synagoga cor-  
ruerint, nequeūt eas iterū erigere; quia hoc esset  
nouas ædificare. Præterea, in cap. In nonnullis, de Iu-  
dæis, dicitur: Statuimus, vt Iudæi cuiuscunque sexus sint,  
in omni Christianorum prouincia, & in omni tempore, qua-  
litate habitus publice ab alijs populis distinguantur. Dicitur:  
In omni tempore, videlicet interdiu, & noctu.  
publicè, ne si tantū occultè distincto vestimēti ge-  
nere, & signo vtantur, Christianos esse se fingāt,  
& simulent: & vt omnis occasio prædicatur quo-  
modo sese Christianis adiungendi, atq; cum  
eis consuetudinē, & familiaritatem cōtrahendi.

Iudæi quoq; in c. Quia super his, de Iudæis, generaliter  
prohibentur ostia, & fenestras in die Parasceues  
apertas habere: Imò tota die clausas tenere co-  
gantur, ne eo die in contumeliā Christi Domini,  
& Redemptoris nostri Christianos derideant, in  
c. verò in nonnullis, de Iudæis. Præcipitur Iudæis, ne in  
diebus lamentationis, & dominicæ passionis in  
publicum prodeāt. Solebant enim infelices illi,  
& miserabiles, in contemptum, & odium Chri-  
stianorum hisce diebus cultiores in publicū pro-  
dire, & lætiores, ac hilariores procedere. Amplius,  
in c. Multorum, de Iudæis, & l. Deo nobis, §. Hic ita, c.  
de Episcopis, & Clericis, nō licet Iudæo habere Chri-  
stianum seruum, siue mancipium: quare seruus  
Iudæi, etiam vernaculus ex eius ancilla natus,  
& Christianus effectus, statim fit liber nullo pre-  
tio per soluto, c. Fraternitatem, distinct. 54. Nec in ser-  
uitutem redigitur, etiamsi dominus eius postea  
sacro baprismate proluatur. l. Deo nobis, citata.  
Item si Iudæus seruum Christianum emerit, vel  
quolibet alio iure eum acquisierit, confestim,  
nullo pretio numerato liber efficitur. cap. Man-  
cipia, distinct. 54. Quòd si seruum non Christianū  
emerit, vt sibi seruiat, & is Christianus fieri vo-  
luerit, cum primum hoc eius propositum inno-  
tescere cœperit, hoc ipso, acquirit sibi libertatē  
nullo pretio dato, c. Fraternitatem, eadem distinctione.  
Si autē emerit negociationis causa, & intra tres  
menses venalem minimè exposuerit, eo ipso

statim



faciam redit ad libertatem. Si autem exposuerit, vel per eum non steterit, quin venderetur, liber non fit. Conceditur tamen ei, ut possit se redimere, & in libertatem vendicare: duodecim solidis, quos ipse, vel pro ipso poterit soluere, c. *Presenti, & c. Nonnulli, de Ind.*

**Vndecimo** Quæritur, An Iudæi puniri possint auctoritate Principum Christianorum? Quæstio intelligitur de ijs Iudæis, qui Christianorum sunt imperio, ditioni, & potestati subiecti. Et causa quæstionis est, quia Ecclesia iudicare non potest de ijs, qui foris sunt. Respondeo, posse. Nam quæ admodum planè compertum est, Iudæos in spiritualibus Ecclesiæ non subijci, vnde excommunicari nequeunt; ita inter omnes etiam convenit, posse eos pœnis iuris puniri ob crimina, quæ in Republicam, aut Principem, aut alios privatos homines perpetrant. Vnde si Iudæus Christianum mancipium circumcidat, aut cogat circumcidi, plectitur pœna capitis, id est, perpetuo exilio, ut interpretatur Accursus *l. 1. c. Ne Christianum mancipium, & eo ipso, seruus sibi comparat libertatè.* Si item Christianum circumcidat, aut mædet circumcidendum, proscriptio bonorum punitur, *l. Iudæi. 2. c. de Iudæis.* Iudæi insuper, si fidem, & religionem Christianam oppugnent; si res sacras proterant pedibus, & consulant, si in Christum maledicta cõijciant, in eos animadvertitur proscriptio bonorum, *l. Hac valitura. c. de Iudæis.* Quin & illi, si Iudæum ad Christi religionem, & cultum conuersum faxis, aut aliquo alio furoris genere infectentur, flammis traduntur cum omnibus suis participibus. *l. Iudæi. c. de Iudæis.* Denique, si Iudæus in Clericû manus violentas iniere, pœna pecuniaria, aut iudei multatur. Quòd si puniri non possit, interdicitur ei Christianorû commercio, donec iniuriam passo satisfecerit, *cap. Postulasti, de Iudæis.* Quidam id etiam probant, quia legimus in historijs, Iudæos ob crimen læsæ maiestatis grauitè punitos fuisse in Hispania: nã in Concilio 17. Toletano c. 3. vicitat Simancas de *Cathol. instit. tit. 35. num. 5.* decretum est: Quoniam Iudæorum perfidia non solum tunicam sacri Baptismatis Christiani quam susceperat, maculauit; sed etiam contra Regem, regnumque coniurauit, suis omnibus rebus spoliati, & priuati Iudæi, tum viri, tum vxores eorum, ac filij, & posterij per cunctas Hispaniarum prouincias seruituti perpetua subiaceant, maneantque vsquequaque dispersi, & filij eorum septem a parentibus abstracti Christianis hominibus educandi, instituendique tradantur. Et illi, qui eosdem Iudæos in seruitutem acceperunt, in nullo eos permittant rituum suorum ceremonias colere. Hæc ibi. Sed hoc argumentum nihil probat, quia Iudæi illi sacro baptismo abluti Christi fidem, & religionem professi fuerat, ut ex verbis ipsius Concilij in prædicto decreto constat: & prodendæ Hispaniæ, & aduersus Regè rebellandi cum Iudæis Africanis confilia cõmunicauerant. *Moral. lib. 12. c. 62. de rebus Hispaniæ. Marian. lib. 6. c. 18. de rebus Hispaniæ.*

**Duodecimo** Quæritur, An Ecclesiastici Iudices, & Apostolici Inquisitores possint inquirere, & animaduertere in Iudæos cõtra veterè legem diuinam peccates, aut Christianum hominem ad Iudaicam superstitionem inducentes, aut circumcidi, vel fidem Christi abnegare cogentes? Simancas de *Cathol. instit. tit. 35. num. 11.* Olradi sententiam

refellit afferentis in *consil. 36.* id posse. Sed certè ea sententia à vero non multum abest. Nam & si iure communi id potestatis Episcopi, & Inquisitores non habeant, ac certè cõstitutionibus Pontificijs aliqua ex parte habent. Extrat enim cõstitutio Pontificia Gregorij XII. l. quæ incipit: *Antiqua Iudæorum,* vbi sic habetur: Si quis Inquisitori heretice prauitatis liberè posse procedere in omnibus causis, & casibus, qui se quantur.

Si quis Iudæus, aut Infidelis in ijs, quæ circa Fidem cum illis sunt communia, veluti vnum Deum, & æternum, Omnipotentem, Creatorem omnium visibilium, & invisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuati alicui infinuauerit.

Si demones inuocauerit, consuluerit, aut eorû responsa acceperit, ad illorû sacrificia, aut preces ob damnationem animarum causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel idcirco, alterius rei summationes obtulerit, aut alia quæcumque impietatis obsequia præstiterit.

Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum verum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matrem Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se heretice dici solent, in Christiane fidei recognitionem, contumeliam, aut corruptionem impie protulerit.

Si cuiusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à Fide desinerit, quousque semel susceperit, abnegauerit, vel ad Iudæorum, seu aliorum Infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impijs sectis transierit, vel redierit, seu in heresim aliquã incidat, aut qui in Christi fidem abneget, seu in heresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocunque præstiterit.

Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut Infidelibus Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, post declarationem iuris, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem, à Fide, vel Fidei institutione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari: aut ne ad fidem veniat, nite Regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

Si quis Apostatas hereticosue scienter donis sua receperit, aluerit, comestum inuerit, seu quouis modo eis cibaria vbianq; præberit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit; aut de loco ad locum eos deduxerit, vel associauerit, vel deducendos, aut associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces, comitesque illis adiunxerit, vel ne ad eos perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit: quousque, dicitur Apostatas, aut hereticos scienter oculi auerit, defendit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.

Si libros hereticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem, operam suam accommodauerit.

Si Christianos deriserit, redemptionisq; nostræ hostiam saluarem in ara Crucis immolantem, Christum Dominum Indivisum, & despectum habens, quandoquaque, maxime verò in sacro Paschales die agnum, suo onem, aut quid aliud Crucis affixerit, aut appenderit, in eamq; conparuerit, siue quid aliud contra ipsam fecerit.

Si nuntices Christianas cõtra sacrorû Canonû statuta, diuersorumq; Romanorum Pontificû prædecessorum nostrorû sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens dicit, qua sanctissimû Eucharistiæ Sacramentum sumperit, sacrorû, vel plurius diebus in latrinis, cloacis, vel alia loca effundere coegerit.



Et subiungitur: In quibus casibus vniuersis, & singularibus Inquisitores omnium regnarum, provinciarum, ciuitatum, dominarum, & locorum vniuersi orbis Christianissimi, & Infideles quoscumque diligenter inquireant, & procedant: quos culpabiles deprehenderit, in eis pro culpa modo, & pro criminum numero, multiplicatiue, aut consuetudine delinquendi, flagella, remigia etiam perpetua, verum quoque publicationes, exilia, & alia atrociora determinant. Haec tenus constitutio.

Item communis est opinio, posse Episcopos, & Inquisitores inquirere, & animaduertere in Iudaeos, & ceteros Infideles, qui aduersus Catholicam fidem, & religionem delinquent: praesertim cum delicta committunt coram Christianis, quos ad similia facinora prauo suo exemplo excitant, mouent, & pertrahunt. Qua ratione permoti Gregorius IX. & Innocentius IV. iusserunt libros thalmodicos igni comburi. Sic enim quidam scripto prodiderunt, Gregorius IX. circa annum Domini 1230. cum vidisset blasphemias, & impietates aduersus religionem Christianam in libris Thalmodicis contineri, iussit eos libros comburi. Quod factum est per Cancellarium Parisiensem, & extat Rescriptum ipsius Innocentij IV. quod incipit: Impia Iudaeorum perfidia, ubi id factum confirmat, & denuo imperat, ut ceteri similes libri, si qui superessent, diligenter perquirentur, & flammis traderentur. Anno Domini 1554. Illustrissimi Cardinalis totius Reipub. Christianae Inquisitores Generales Romae auctoritate Iulij III. oes libros Thalmodicos, quos inuenire poterunt, igni combusserunt: & ceteris Inquisitoribus imperarunt, ut diligenter libros Thalmodis Hierosolymitanis, & Babylonici perquirerent, & igni cremados curarent. Praecepunt in super, ne quis Hebraeorum tales libros, aut aliquas eorum partes penes se retineret, sed Inquisitoribus traderet: neue in publicum similes libros transcribi, aut typis madari, aut ex terris Infidelium ad Christianorum provincias asportari faceret: alioqui eius bona publicetur. Anno item Domini 1554. idem Iulius III. constitutione edita, quae incipit: Cum sicut, sanciuir, ut libri Hebraeorum, in quibus blasphemias, siue maledicta in Christum Dominum, aut in Christianam religionem continentur, in eorum synagogis, & priuatis etiam domibus perquirantur: & qui deprehensi fuerint tales libros habere, poenis pecuniarijs, & publicatione bonorum, & contumaces etiam vltimo supplicio puniantur.

Ex quo liquet quam falsa sit Perri Galatini lib. 1. de arcibus Cathol. veris. c. 7. sententia, qui conatur ostendere, Thalmod Iudaeorum a Christianis recipi debere, & in Latinum sermonem conuerti, publice in scholis Christianorum explicari, idque probare contendit ex decreto Concilij Viennensis, quod refertur in Clement. inter sollicitudines, de Magistris. Sed certe falsus est: nec enim Concilium de libris Thalmodicis loquitur, sed de alijs libris Hebraice, Arabice, vel Chaldaice conscriptis. Nec Thalmodici libri iure permitti queunt, & indigni Christiano viro est, eos libros allegoricè, & analogicè interpretari, ut cõten dit Galatin. lib. 1. de arcibus Cathol. veris. c. 6. Sed obijcies, Iudaeos extra Ecclesiam esse: ergo nec iure eos posse ab Ecclesia puniri. Respondeo, nequire Ecclesiam contra Iudaeos agere, poenas spirituales in eos constituendo, quales sunt Ecclesiasticae censurae; posse tamè poenis

temporarijs eos afficere, quippe qui prauo suo exemplo Republica aliquando perturbant. Deinde obijcies, inde colligi, ut in eos ipsi etiam Principes ciuiles inquirere possint, & debeant, non tamè Episcopi, & Inquisitores, qui tantummodo ius, & auctoritatem habent contra haereticos, & de haeresi suspectos agendi. Iudaei autem cum sacro Baptismate initiati non sint, haeretici esse non possunt. Respondeo, eos haereticos quidem, vel de haeresi suspectos non esse, attamen cum ea, quae diximus, crimina perpetrant, Christianos, apud quos commorantur, verbo, facto, vel exemplo, quod ad se attinet, inficiunt, atque corrumpunt, ac propterea ratione delicti merito puniuntur.

Decimotertio Queritur, quid Ecclesia Iudaeis permittat, vel interdicit circa vsuras: Respondeo, in Clement. 1. de Vsuris, statutum esse, ut quarumlibet Communitatum, Potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Iudices, Consiliarij, aut alij quicunq; Officiales, qui condiderint, scripserint, vel dictauerint statuta, quibus vsura aliqua ratione approbati videntur, eo quod non solum concedatur, aut permittatur, ut vsura exigatur: sed etiam praecipiant, & compellant, ut eas debitores soluant, & prohibent, ne soluta, cum repetuntur, restituantur, ipso facto sint excommunicati. Insuper, qui scienter iudicare praesumpserint, iuxta huiusmodi statuta, ut vsura soluantur, aut ne restituantur, cum repetuntur, ipso facto, in excommunicationem incurrant. **QVAERITUR**, an haec constitutio vim, & locum habeat in Iudaeis, quibus Principum Christianorum concessu vsura soluitur, ex quibus ipsi tributum, vel certam pensionem accipiunt, quod est quaerere, An Rex, verbi gratia, Imperator, vel alius Princeps ciuilis non agnoscens, & habens in temporalibus superiorem, cui sit subiectus, peccet, impune permittens Iudaeos vsuras a Christianis exigere, & accipere? An item peccet, si auctoritate sua permittat, concedat, aut etiam praecipiat, ut vsuras permissas Iudaeis Christiani soluant, qui mutuo ab eis acceperat pecunias, fide data de vsuris soluendis? Insuper, an peccet Princeps, si in iudicio suo ciuili denegat Christianis actionem repetendi vsuras, quas ob promissionem factam, Iudaeis soluerant: aut si onera imponat Christianis, aut poenas constituat in eos, qui vsuras solutas Iudaeis, repetunt coram Ecclesiastico Iudice? Item, an peccet, si statutum condant, quo praecipiat Iudaeis sibi subiectis, ne ultra certam quantitatem vsuras exigant: vel ne immodicas, sed leuiiores, & minores accipere queant, siue ut tot denarios, & non plures extorqueant? De his quaestionibus pauca quaedam dixi supra lib. 2. cap. 10. Sed in hoc loco fusius disputabo, de quibus etiam aliqua tradiderunt Silu. vsura 9. q. 22. Angel. vsura 2. q. 14. Tabien. vsura 1. q. 5. Et excommunicatio. 5. casu 50. Armilla, vsura, num. 14. Nauar. consil. 3. de Vsuris. & in Anna. c. 27. num. 143. Caiet. in summi. excommunicatio cap. 51. & Rosel. excommunicatio. 1. in excommunicatione 47.

In hac quaestione, quae profecto, ut ait Nauar. consil. 3. de Vsur. difficilis videtur, tria, aut quatuor continentur. Primum est, An Christianus Princeps tuta conscientia Iudaeis sibi subiectis vsuras permittat? Ad quod breuiter respondeamus: vsuras exigere, & accipere, esse iure natu-



rali, & diuino prohibita: Et proinde peccare, tum qui exigunt, & accipiunt, tum qui aliquo modo consentiunt in peccatum eorum, qui eas inique exigunt, aut qui aliquo modo operantur cum eis in vlturis exigendis, vel accipiendis. Non idcirco tamen peccant Principes, si Iudæis vlturas impune permittant, hoc est, si in Iudæos vlturas à Christianis exigentes non animaduertant. Non enim ideo Princeps peccat, qui in republica aliqua mala non puniunt, cum possit: nam quædam mala permitti queunt ad alia deteriora, & grauiora, aut plura euitanda. Meretrices respublica permittit, & synagogas Iudæorum antiquas, & aliquos ritus Iudæicos. Item, spectacula, & ludos publicos, in quibus aliqua peccata committuntur. Insuper impune in republica Comædiæ, & Tragediæ permittuntur, in quibus etiam sæpè populus peccat. Hæc enim mala tolerare, & in Republica sine pœna relinquere, non est sua natura malum, sed res est media, & indifferens; & proinde Peccatū non est, quamdiu minus malum permittitur, vt quod peius est; & grauius caueatur. Sic Nauarrus in consilio citato. Occurres, quia ius in Clementina citata, excommunicationem ijs Principibus irrogat, qui suis statutis, vel consuetudinibus, aut legibus vlturas concedunt, permittunt, vt exigantur, vel accipiantur. Respondent aliqui eam Clementinam locum habere, quando Principes permittunt impune, vt Christiani vlturas accipiant à Christianis, non autem quando Iudæi eas à Christianis exigunt, & accipiunt, quas ipsi Christiani promiserant se soluturos. Sic Tabien. & quidam alij, quod mihi non placet: Vnde aliter respondeo: permittere impune Iudæis vlturas, non est per se malum, vt paulò ante dixi: & proinde quamuis demus eas Iudæis permissas Clementinam prohibere, non tamen consequens est, vt consuetudo nequeat Clementinæ in hac parte derogare: præfertim id sciens, & tolerante Romano Pontifice, quoniam quod in ea prohibetur, ex hac parte, videlicet ne vlturæ permittantur impune, iure tantum canonico prohibetur, & scripta iura possunt consuetudine contraria abrogari, vt non semel suo loco tradidimus.

Alteræ questio est, An peccet Princeps, si vel statutū condat, vel consuetudinē confirmet, qua iubentur Christiani soluere vlturas, quas se soluturos promiserant Iudæis? Siluest. & Angel. locis citatis eum putant peccare, & pœnā prædictæ Clementinæ contrahere: quod idē ante eos senserāt, teste Siluestro, Ioan. Imola, Ioan. Anania, Franciscus Zabarella, Alexander, Iason. Idē probant ex Clementina, quæ perspicuè excommunicationē constituit in eos, qui talia præcipiunt. Item, quia in c. Post miserabilē, de vltur. statuitur, vt Magistratus, & Principes imperent Iudæis, vt vlturas restituant. Alij verò opinantur, eos minimè peccare. Nauarr. consil. citato. Petrus Anchar. & alij multi, quos refert Siluester, eo argumēto perducti: quòd sicut Christianus nō peccat promittēdo vlturas Iudæo, & promissas soluendo; si nec Princeps, aut Magistratus delinquit Christiano præcipiens, vt quas promissas Iudæo, soluat vlturas, quia hoc non est, nisi imperare, vt promissum exoluat, si dē datam seruet, & stet pactis, atque conuentis, quod malū non est. Præterea c. Debitores, de iureiuran. statuitur,

vt is, qui iureiurando promissas vlturas, eas soluere cogatur, nisi iureiurandi vinculū auctoritate Ecclesiæ relaxandū curauerit. Ergo promissas vlturæ soluendæ non est supra natura mala, alioquin enim non posset iureiurando confirmari. Ergo sicut Ecclesiæ præcipit, vt vlturæ iureiurando promissas, soluantur, sic auctoritate Principum, vel consuetudine introduci potest, vt vlturæ saltem Iudæis simpliciter promissas soluantur. Nec prædicta Clementina, inquit, loquitur de vlturis, quas Christiani promittunt, & soluant Iudæis, sed de ijs, quas Christiani Christianis promittunt, & soluant. Item, quia licet Princeps civilis præcipiat Christiano, vt Iudæo soluat, quas promissas vlturas, liberum est eas repetere corā Iudice Ecclesiastico: hoc enim Princeps impedire, aut prohibere iure non potest. Mihi tamē in hac parte probabilior videtur prima sententiā: nō enim video causam iustā, ob quā id præcipiat Princeps, videlicet, cū pœnis constitutis imperat Christianis, vt Iudæis soluant promissas vlturas. Nā si Ecclesiæ cogit vlturas, quas iurauimus nos soluturos, Iudæis soluere id facit, quia dat ius eas solutas repetendi, quod ciuiles Principes non faciunt.

Tertia dubitatio erat, An peccet Princeps, qui denegat Christianis in iudicio repetitionē earū vlturæ, quas Iudæis promissas soluat? Siluest. Angel. & alij auctores paulò ante citati existimant, eos peccare, & in prædictæ Clementinæ pœnas incurrere. Negant verò alij, ea ducti ratione, quod Clementina illa nō loquitur de Iudæis vlturas à Christianis accipiētibus, sed de Christianis, quibus alij Christiani vlturas perfoluerunt: quod vt paulò ante dixi, mihi non placet. Quare aliter respondendū puto; si Princeps nihil aliud faciat, sed tantū negat ius repetendi in iudicio vlturas solutas, per se peccatū non est, dum modo Princeps pœnis constitutis, aut lege posita, aut præcepto dato, nō imperet Christianis, vt vlturas solutas non repetat corā Iudice Ecclesiastico. Nec enim vllū est peccatū contra ius diuinū, aut naturale, si Princeps denegat actionem in iudicio ciuili, repetendi vlturas solutas: quoniam hoc solū est, actionē repetendi in iudicio ciuili nō dare: non autē impedire, vel prohibere, ne Iudæi vlturas sibi solutas restituant, si repetuntur; aut ne Christiani eas repetant apud Iudicē Ecclesiasticum: hoc enim manifestè, aut iuri naturæ repugnat, aut saltem Clementinæ aduersatur. Quemadmodum enim Iudæi eas restituerent naturali iure coguntur, sic etiā quoquoque alio modo, arte, vel ratione curant, aut faciūt, ne Iudæi eas reddant, cū repetuntur, contra ius naturale grauius delinquent, & ad restituendum lege naturali compelluntur, quia impediunt, aut prohibent alienum suo domino restitui.

Quartò quærebatur, An peccet Princeps Christiani statuta condentes, quibus præcipiunt Iudæis, ne vltra certā pecuniæ quantitatem maiores vlturas exigant? Glof. in Clem. de vltur. verb. Facere, communi vltu approbata, censet, eos nō peccare: quoniam hoc non est statutum ponere, aut præceptum dare, vt vlturæ exigantur, sed ne immodicæ accipiantur. Et hæc sententiā est vera: dummodo Principes nō concedant, vt Iudæi has, aut alias maiores vlturas exigant, & accipiant.

Decimoquartò Quæritur, An Christiani, qui

locant



locant domos ludæis vsurarijs; peccent, & poenas incurrant confluitas in c. de vsuris, in sexto, contra eos, qui manifestis vsurarijs alienigenis, hoc est non oriundis ex eodem loco, domos locant, aut eas conductas habere, aut in terris suis habitare permittunt. Duplex opinio est: Prima, eos asserit ea lege, ac pœna comprehendi. Ita Geminianus in c. 1. de vsuris, in 6. Angel. excommunicatio 5. In excommunicatiõibus non referatis, casu 32. Rosella, excommunicatio 2. In excommunicatiõibus 35. Siluester, vsura, 9. quest. 22. & excommunicatio 9. in excommunicatiõibus 31, ubi citat Cardinalem, Paulum, Baldum, & alios. Sic etiam Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 136. Secunda opinio, eos comprehendi negat. Ita quidam, & citat Franciscum Aretinum in consilio 158. Et hanc putat Tabienfis, verbo, vsura. 1. q. 5. in octava pœna, esse sententiam probabiliorem, quam ut veram, siue veritatem, dicit esse declaratam ab Eugenio IV. & eam securum fuisse Felinum. Sed quia nihil certi constat de Eugenij declaratione: Prima sententia, quia communis est, præferri debet.

**Decimoquintò** Queritur, An Constitutio edita in cap. Quaquam, de vsur. in 6. contra vsurarios manifestos, protendatur etiam ad Iudæos manifeste vsurarios Principibus Christianis subiectos: hoc est, An testamentum Iudæi vsurarij manifesti, sit irritum ipso iure, quod constitutum est in predicto cap. Quaquam. Putare quidam, ad eos quoque protendi. Sed Rosella verb. Restitutio 9. num. 34. cum Francisco Aretino sentit Iudæos ea lege minime comprehendi. Quam sententiam eo certè probabiliorem, & verioremi existimo: quam etiam sequitur Siluester verb. vsura. 9. quest. 8. Tabien. vsura 1. questio. 5. in octava pœna. Nam de ijs, qui foris sunt, non videtur ius in eo cap. Constitutum, decernere, ut eorum testamenta sint irrita.

**Decimosexto** Queritur, An notarijs Christianis liceat instrumenta vsuraria inter Christianos, & Iudæum conscribere? Negant quidam licere, id facere; nam syngrapham vsurariam conscribere peccatum est, siquidem per eam vsurarius exigit vsuram à debitore. Medina de vsura q. 4. ad 4. prope finem, existimant eos non peccare, quia in scriptura, ait, Scriptura, solum est iustificatio rei gestæ, hoc est, manus dati, & accepti. Veluti si quis verbo testificaretur inter Christianum, & Iudæum fuisse initum contractum vsurarium certo anno, mense, & die. Præterea, cum ex Scriptura ipsa manifeste constet, vsurarium fuisse contractum, per eam syngrapham debitor non adigitur ad soluendum, sed consuetudine loci, vel auctoritate Magistratus ad id compellitur. Mihi hac in re videtur distinguendum, ita nimirum: si notarij à Iudæo vocati, in gratiam eius syngrapham vsurariam conscribant, peccant; quia cum voluntate Iudæi vsuram exigentis consentiunt, & vna cum eo operantur in vsuris exigendis. Si verò à Christiano vocentur, & in gratiam eius conscribant, culpam non contrahunt, quoniam stant à Christiano, faciuntque pro illo vsuras promittente: & proinde sicut Christianus minime peccat in promittendis, & soluendis vsuris Iudæo: ita nec notarij non enim tunc cum Iudæo exigenti vsuras operantur, nec cum eius voluntate consentiunt; sed

Christiano promittenti fauent, & hoc puto voluisse Medinam.

**Decimoseptimò** Queritur, An Iudæo ad Christum sese transferenti possit Ecclesia remittere obligationem, quæ ad vsuras restituendas lege naturali compellitur? Respondeo: Si certi, & noti essent ij, quibus vsuræ restitui deberent, iure non posse: quia esset cum illorum damno, & detrimento: & mala (iuxta Apostolum) non sunt facienda, ut veniant bona. Si autem incerti sint, & ignoti creditores, iure potest Ecclesia remittere: quoniam vsuræ deberent in pios vsus converti, Ecclesia verò ius habet ea commutandi in alios vsus, qui in commune quoque bonum cedunt, atqui ex huiusmodi remissione facilior ad Christum Iudæorum conuersio redditur.

**Postremò** Queritur, An Episcopi, & Inquisitores possint in eos inquirere, qui è Christianis ad Iudæos transferunt? Respondeo, in cap. contra Christianos, de hæret. in sexto, esse constitutum, ut in tales inquirant, & animaduertant tanquam in hæreticos, & similiter contra Fautores, Receptatores, & Defensores ipsorum, veluti contra Fautores, Receptatores, & Defensores hæreticorum: Et ad crimen talium hominum probandum satis esse Christianorum, vel Iudæorum quoque testimonium. Sciendum est, Inquisitores posse procedere, non solum contra Christianos, qui consilium, auxilium, vel opem præstant ijs, qui ad Iudæos transeunt, vel redeunt; sed etiam contra Iudæos, qui inter Christianos commorantur, & viuunt, si prædictum consilium, vel auxilium dederunt, ut habetur in constitutione quadam Nicolai IV. quæ refertur ad literam in Director. Inquisitor. p. 2. quest. 44. Item, possunt in eos inquirere, qui ad Iudæos redierint post Baptismum susceptum, etiam si huiusmodi redeuntes, ut ibi dicitur, dum erant infantes, aut metu mortis, non absolute, aut præcisè coacti, baptizati fuerint. Redire ad Iudæos illi dicuntur, qui prius fuerant Iudæi, postea Christiani effecti sunt, ij verò, qui nunquam fuerant Iudæi, sed semper Christiani, dicuntur ad Iudæos transire. Sic ibidem Glossa in verbo, Redierint.

### Caput XXIII.

*De Saracenis, & ijs, qui è Christianis ad eos transeunt, vel redeunt.*

**Primo** Queritur, Quo pacto in iure Canonico Saracenorum nomen accipiatur in toto titulo de Iudæis, & Saracenis? Respondeo, id nomen, & esse gentis, & esse etiam impiæ, & nefariæ sectæ. In iure Canonico, sicut etiam in presentia, non accipitur primo modo, sed secundo. Porro teste Iosepho lib. 1. Antiq. cap. 20. quem postea secuti sunt Eusebius, Hieronymus, Socrates, & Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus, quos citat in hanc rem Couar. lib. 4. c. 9. var. resolut. Agareni se Saracenos nominarunt ad ignominiam declinãdam, & contemptum fugiẽdum; nam cum genus ducerent ab Ismaele Abrahæ filio ex Agar ancilla suscepto, mendaciter finxerunt se è Sara originem traxisse. Iidem igitur sunt Saraceni, quando est nomen gẽtis, qui Arabes, Agareni, Ismaelita,

Rom. 3.

Gen. 16.



Gen. II.

Verius tamen videtur esse, quod scripsit Stephanus Græcus auctor *lib. de Urbib.* Saracenos esse populos post Nabathæos in Arabia, tales dictos à Sara ra Urbe Arabia. Nam si à Sara Abrahæ vxore dicerentur, potius Sarani, quam Saraceni vocarentur: Et Ammianus Marcellinus *lib. 23.* tradidit in Asia esse Albanos, Mare Rubrū, Scenitas, Arabas, quos, inquit, *Saracenos posteritas appellauit.* Ex hac Saracenorū gēte, vt scripsit Paulus Aemilius *lib. 7. in Francorum Historia,* delecta militum manus sub Heraclio Imperatore Christiano militabat, quando ille Regem Perfarum Cosroam Paganum vicit, & cepit. Cumq; stipendiū peteret; is ad quæ ea res pertinebat, subireatus respondit: *Vix est, vnde Græco, & Romano militi solatur, & hæc canam turba impudenter stipendium efflagitat.* Ad quam vocem ira succensit, ab Heraclio, & Romano imperio defecerunt: & in Syria aucti Damascum occuparunt: & inde aucto ex his, qui domi remanserant exercitu, Aegyptum ingressi, facile ea potiti sunt, vicinorum Arabum commeatu, & auxilijs adiuti. Qui deinde Mahometi falsi prophætæ præceptis, & institutis imbuti, Perfas bello petitos deuicerunt. Vnde factum est, vt nomen gentis in nomen sectæ Mahometanæ transferretur.

Secundo Queritur, An Episcopi, & Inquisitores ius habeant inquirendi in eos, qui è Christianis ad Saracenos transiere, redierunt? Respondeo, iure Canonico expressè solum esse constitutum, vt inquirent in Christianos transeuntes, vel redeuntes ad Iudaicam perfidiam, *cap. contra Christianos de heret. in 6.* Sed ex ratione in eo cap. reddita manifestè colligitur, vt dicitur in Direct. Inquisit. p. 2. q. 45. ius habere Inquisitores, & Episcopos animaduertendi in Christianos transeuntes, redeuntesue ad nefariam Saracenorū impietate. Nam quemadmodum, qui transeunt, vel redeunt è Christianis ad Iudeos, à fide, & religione Christi deficiunt, & proinde tanquam apostatæ puniuntur, ita etiam verè sunt apostatæ, qui è Christiana fide transeunt, vel redeunt ad Saracenicam perfidiam, & impietatem. Talium item Receptatores, Fautores, vel Defensores puniri oportet tanquam Receptatores, Fautores, & Defensores hæreticorum. Et hoc locum habet tum in his, qui cum Christiani sunt, consilium, auxilium, fauorem præstant prædictis hominibus, tum etiam in ijs Saracenis, qui cum inter Christianos commorentur, & viuunt, prædictis consilium, auxilium, vel fauorem dare solent, vt habetur in quadam constitutione Pontificia Gregorij II. quæ incipit: *Admodum dolenter,* & refertur in Direct. inquisit. par. 2. q. 45.

Tertio queritur, Quæ sine interdicta Christianis cum Saracenis? Respondeo, in e. *Ita quorundam, de Iudeis, quod est Alexandri III. in Concilio Lateranensi,* sancitū esse, vt Christiani Saracenis arma, ferrū, & lignamina deferentes galearū, dum ad impugnandos Christianos ea subministrant: & qui in galeis, & piraticis Saracenorū nauibus regimur, & curam gubernationis exercent, excommunicationi subiaceant, & rerum suarū per Principes Catholicos, & Consules ciuitatum, priuatione mulctentur, & ipso iure capientiū serui fiant. Idè ferè decernitur in e. *Quod olim. c. Significauit, cap. ad liberandam, de Iudeis:* & in Constitutione Ioannis

XXII. quæ incipit: *Copiosius, de Iudeis,* & in alia Clementis V. cuius est initium: *Multa, inter communes, de Iudeis:* de quibus singulis in præsentia, eo quæ proposuimus, ordine breuiter differemus. Porro hæc excommunicatio olim nõ erat omni ex parte Romano Pontifici referuata: hodie verò referuatur in constitutione Pontificia, quæ Bulla *Cæne Domini* vocatur. De hac excommunicatione tractat Angel. *excommunicatio 5. casu 21. Rosel. absolutio. 1. num. 77. & sequentib. Silu. excommunicatio 7. casu 21. Tabiè. excommunicatio. 6. Caiet. in sum. excommunicatio, ca. 20. Nauar. in Manua. ca. 27. nu. 63.*

Quarto Queritur, Quinam appellatione Saracenorū in his iuris communis capitibus accipiantur? Respondeo, eos omnes accipi, qui impie, & nefarie Mahometi sectæ, atque perfidiz inhaerent, siue sint Turcæ, siue Tartari, siue Perse, siue Arabes, siue Aegyptij, Africani, & Mauri. Præterea, non solum comprehenduntur Saraceni, qui actu Christianos oppugnant, sed etiam, qui habitu, id est, qui oblata occasione eos oppugnare solent, aut possunt. QVAERES, an nomine Saracenorū comprehendantur etiam Iudæi? Respon. ex iure communi Christianos arma ad Iudeos deferentes, non esse excommunicatione affectos, quoniam Iudæi nomine Saracenorū minime significantur. At verò in Constitutione Pontificia, quæ dicitur *Bulla Cæne Domini,* excommunicatio comprehendit etiam Christianos, qui ad Iudeos arma deferunt: quoniam excommunicatio fertur in eos omnes Christianos, qui ad Turcas, Saracenos, & alios Christi nominis inimicos arma detulerint, Iudæi autem sunt Christiani nominis inimici. QVAERES deinde, an excommunicatio pretendatur etiam ad Christianos deferentes arma ad Paganos, siue Ethnicos? Respondeo, ex iure antiquo communi ad eos non extendi: ex nouo verò Bullæ in cæna Domini, ad eos quoque protendi, dummodo tamen sint Christiani nominis inimici, qui actu, vel habitu bella cum Christianis gerant. QVAERES insuper, an etiam excommunicatio comprehendat Christianos arma deportantes ad hæreticos, præsertim ad eos, qui Catholicos oppugnant? Respon. non comprehendere, nec ex iure communi, nec speciali Bullæ in cæna Domini, quæ promulgari publicè in Curia Romana solebat ante tempora Gregorij XIII. Nam hæretici appellatione Saracenorū non continentur, nec significantur vocibus inimicorum Christiani nominis. Sunt etenim hæretici, Catholici tantum nominis inimici, non Christiani. Nam, vt ait August. *lib. 8. de Ciuit. c. 51.* hæretici sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ. At verò post tempora Gregorij eiusdem XIII. Bulla cæne Domini, sic habet: *Excommunicamus, qui equos, vel arma deferunt ad Saracenos, vel Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per nostras, vel huius sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos,* quibus verbis excommunicatio fertur in eos etiam Christianos, qui arma bellica deferunt ad hæreticos, non quoslibet, sed à Romano Pontifice lata sententia expressè, & nominatim denunciatos.

Quinto Queritur, An hac excommunicatione aficiantur, qui arma vendunt Christianis in Saracenorū terra habitantibus, vel negociantibus

tibus



tibus, & eorundem imperio subiectis. *Respondeo*, eos affici, quoniam eiusmodi Christiani sunt Saracenum, vel Turcarum imperio, & potestati subiecti, & proinde cum voluerint Saraceni, vel Turca, ea in promptu habent: præsertim cum ea arma eiusmodi Christiani Saracenis, apud quos versantur, vendere, ac tradere soleant.

*Sexto Quæritur*, An etiam in excommunicationem incurrant, qui arma donant, vel vendunt Christianis, verbi gratia, Græcis, vel Armenis, vel Venetis Constantinopoli commorantibus, ut ea occulta teneant in perniciem, & interitum Saracenum, Turcarumque? *Respondeo*, minimè, quoniam non tradunt Saracenis ad oppugnandos Christianos, sed potius Christianis in exitium, & necem Saracenum.

*Septimo Quæritur*, An comprehendantur, qui donant, vel qui vendunt arma Saracenis in terris Christianorum habitantibus sub imperio, & potestate nostrorum Principum? *Respondeo*, nequaquam, tamen si eiusmodi Saracenis nostrorum Principum legibus sit interdictum, arma possidere. Comprehenderentur tamen, quando Saraceni probabiliter crederentur arma emere, vel accipere in eum finem, ut illa deferrent ad alios Saracenos extra nostrorum Principum ditionem, & imperium viuentes, vel commorantes, vel ut affererent occultè in perniciem Christianorum: tunc enim isti Saraceni, quamvis non actu, habitu tamen Christianos oppugnant.

*Octavo Quæritur*, An etiam comprehendantur dicta excommunicatione, qui arma deferunt ad Saracenos, qui bello Christianos contra alios Saracenos, vel Paganos, aut hæreticos defendunt, & adiuvant? *Respondeo*, minimè: quia licet Saraceni sint, & Christiani nominis inimici, Christiani tamen contra alios quosuis infideles, & impios, opem, & auxilium ferunt: & proinde si Christianis est liberum Turcas, vel Saracenos contra alios in sui auxilium vocare, (de quo inferius dicemus) liberum quoque erit, eis arma ministrare, & equos tradere, quibus nobis auxilium præstent.

*Nono Quæritur*, An hæc excommunicatio afficiat eos, qui emunt à Saracenis equos, & deinde alijs Saracenis donant, vel vendunt: eos item, qui arma, vel alia quælibet prohibita ex vno loco Saracenum, vel donatione accepta, vel emptione acquisita, ad alium locum Saracenum, aut Turcarum transferunt? *Respondeo*, Angelum, Siluestrum, Tabientem locis citatis; & alios asserere, eos non affici. *Quod* probant, & confirmant ex declaratione Gregorij IX. in Constitutione, quæ incipit, *Postulasti*; licet ea fuerit abrogata, ut constat ex *Proemio Bonifacij VIII.* in sexto Decretalium. At Nauarrus censet, eos omnes hanc excommunicationem contrahere, quia reuera equos, vel arma deferunt ad Saracenos. *Obijciunt*, eos eiusmodi arma emisse ab alijs Saracenis, & proinde alios Saracenos, quibus vendiderunt, non esse effectos potentiores, validioresve contra Christianos: quia si ij, quibus Christiani arma, vel equos, vel alia prohibita vendiderunt potentiores euaserunt, alijs à quibus emerunt, minus potentes, & valentes sunt redditi. *Respondet Nauarrus*, hoc nihil referre, quia per em-

ptionem arma in Christianorum ius, & potestatem deuenere; & proinde quando venditione, vel donatione transeunt in alios Saracenos, eo ipso, arma, quæ facta fuerant Christianorum, censeantur ad Saracenos deferri.

*Mihi tamen distinguendum videtur*. Si enim Christiani equos indomitos, infirmos, & malè valentes emunt, & validiores, robustioresve redditos ad alium locum Saracenum transferunt, in excommunicationem incurrunt, quoniam opem, & auxilium aliquo modo inimicis Christiani nominis ferunt. Idem igitur est, si arma, & alia prohibita transferant effecta meliora, & ad bellum aptiora. Si tamen hæc ex vno loco ad alium transferunt penitus in eadem substantia, quantitate, & qualitate permanentia, non mihi videntur in excommunicationem incidere.

*Decimo Quæritur*, Quid nomine armorum intelligatur? *Respondeo*, non intelligi omnia artium quarumlibet, sed militaris tantum artis instrumenta, quæ varia sunt, & multiplicia, ut ex *Vegetio lib. 2. de re milita. cap. 25. & lib. 4. cap. 44.* & ex *Plinio lib. 7. cap. 56.* planè colligi potest. *Comprehenduntur* autem arma, tum ea, quæ ad defendendum sunt, tum etiam, quæ ad offendendum, & pugnandum idonea, & apposita, ut scuta, galeæ, lorice, gladij, hasta, sagittæ, tela, & alia id genus multa. Item fustes, & lapides, non ad ædificia, sed ad machinas bellicas comparati, seu pilæ, siue globi lapidei, seu ferrei, qui vi tormentorum bellicorum solent excludi. *Quæres*, an armorum etiam nomine contineantur cætera ad vsus alios, quam ad militares, parata instrumenta ferrea? *Respondeo*, minimè: tales sunt cultri ad panem scindendū, ad pennas aptandas, ad secandas carnes; tales etiam sunt secures, falces, ligones, rastra, perticæ, nouacula, fibra, acus, clauis, & similia. Nisi hæc ad Saracenos, vel alios Christiani nominis inimicos deferantur, quatenus aliquo modo vitia esse possunt ad machinas vsusue militares: tunc enim licet armorum appellatione minimè contineantur; deferre tamen Christiani prohibentur, quatenus sunt materia, & res, quæ potest Saracenos iuuare ad Christianos oppugnandos.

*Vndecimo Quæritur*, Quid Ferri nomine prædicta iura accipiant? *Respondeo*, ex communi omnium sententia, in iure canonico, ea voce significari id, quod intelligit ius civile in *l. Nemo, C. Dicitur res exportari non debeant.* Vbi ad inimicos Romani Imperij deferri iure non poterat ferrum, tum factum, tum infectum. Sed dubiæ quæstionis est, quid significet ferrum factum, quid infectum? Silvester nomine ferri facti intelligit ipsum ferrum, Infectum verò, ait esse eam terram, & venam ex qua ferrum elicitur. *Caictanus* verò, factum dicit esse, tum ferrum ipsum, tum omne genus armorum ex ferro confectum: Infectum verò, omnem cuiuslibet alterius metalli materiam, ut aurum, argentum, æs, plumbum, stannum. Sed melius alij, nomine facti ferri intelligunt, quicquid est ex ferro fabricatum, & potest vitale esse ad bellicos vsus; nomine verò infecti, ipsam ferri laminam seu massam exporrectam, vel cõglobatam, impolitam, ac rudem: & propterea Ferrum infectum vocatam. Et quia appellatio



ferri siue facti, siue infecti non adeo latè patebat, vt omne metalli genus comprehendere, ideo in Bulla Cœnæ Domini, quæ nostris temporibus promulgari solet, explicatè dicitur, ferrum, filum ferri, stannum, chalybs, omniaque alia cuiusuis metalli genera, atque bellica instrumenta.

Duodecimò Quæritur, Quid Ius canonicum appellat, *Lignamina galearum*? Respondeo, in primis, vtrumque nomen esse barbarum, sed quia vulgus eo vocabulo utebatur, eo quoque vti Ius canonicum voluit, vt vulgus melius, & clarius quid prohiberetur, intelligeret. Quo fit, vt male quidam correxerint Iuris canonici in eo capite Codices, qui *Lignamina galearum in locum, lignaminum substituerunt*. Deindè (vt quæstionem soluamus) Lignamina sunt, & dicuntur ligna ex quibus fieri solent, aut possunt trirèmes, & aliud quodlibet genus nauis oblongi. *SI QVÆRATUR*, an hoc nomine significentur tantummodo ligna ad ædificandas trirèmes, & naues apta, & idonea, an verò etiam quælibet alia materia, ex qua confici possint instrumenta bellica? Resp. vbi Ius canonicum solù prohibet lignamina galearum, eo nomine duntaxat intelligi ligna, materiam scilicet triremiù, & nauium. Et propterea alia Iura absolutè prohibent quælibet lignamina: qua voce generali intelligitur omnis materia lignorum, ad quasuis alias machinas bellicas accommodata. Quin, vt omnis in vniuersum comprehendere materia, qua possunt Christiani ab hostibus oppugnari, additum est in prædicta Bulla Cœnæ Domini, *Canabim, funes*, tam ex ipsa canabi, quàm alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Sic in Bulla.

Decimotertiò Quæritur, Quid eorum verborum appellatione, *deserunt, transmittunt, subministrant*, veniat in Iure canonico? Respondeo, his verbis comprehendi omnes, qui tum per seipso, tum per alios prohibita deferunt ad Saracenos. Abbas in cap. *significauit, nu. 4. de Indeis*. Deindè, his verbis comprehenduntur, non solùm ij qui exportat prohibita, sed etiam ij, qui vèdunt, qui permutat, & qui quouis alio modo prohibita Saracenis tradunt, imò oēs ij, qui maligno animo curant ea ad Saracenos aliquo modo transferenda: & proinde etiam ij, qui permittunt prohibita ad Saracenos transmitti, cù tamen ratione sui officij, & muneris id prohibere deberent. Hinc est, vt hanc poenam incurrat is, qui ad sui defensionem arma defert ad Saracenos, eaque postea recepto precio eis vendit, vel donat: & qui etiam suis armis munitus, & instructus Principem Saracenum adit, à quo postea rogatus, vel munere donatus, ea illi dono tradit, ne ingratus esse videatur. *SI QVÆRATUR*, quid de Christianis dicendum, qui arma ad sui defensionem delata, cù alijs armis Saracenorum cõmutant? Resp. eos etiam Iuris poenas cõtrahere, nisi Saracenorum arma essent meliora, cõmodiora, & vtiliora ad bellicos vsus: tunc, n. Christianus sua commutat, potius arma Saracenis eriperet, quàm traderet: quemadmodum etiã si Christianus miles, equum suum cum alio Saraceni equo ad bellum aptiore commutaret. Non tamen cõprehenduntur, qui arma, aliaue prohibita

ad Saracenos detulerunt, sed poenitentia ducti eis minimè tradiderunt, sed reportarunt. ac verò cõprehenduntur ij oēs, qui arcem, vel oppidum armis instructum, vel nauem armis onustam, & munitam tradunt Saracenis. *SE D* quid de ijs, quæres, qui pecunias, vel merces ad Saracenos deferunt pro captiuis redimendis? Resp. ex c. *Significauit, de Indeis*, eos Iuris poenas non incurrere, dummodo prohibita Saracenis nõ tradant, nec plus dent, quàm sit præcisè necessarium ad captiuos redimendos. At verò qui ad eam rem, nihil aliud haberet, nisi ferrum, vel arma, vel equos, meo iudicio non incideret in Iuris poenas ea instrumenta Saracenis vendendo, dummodo belli tempore nõ traderet. Præterea, nõ cõprehenduntur, si qui fame, vel vi compulsi, arma aliasue res prohibitas venderent Saracenis; vel si qui seuiente bello se dederent Turcis, aut Saracenis, ne vna cù suis armis perirent, vel si qui depositis, relictiue armis fugerent salutis, & libertatis causa: nam, vt alias docuimus, leges humanæ hominum conscientias minimè obstringunt, & tenent, cù probabili vitæ, aut libertatis discrimine. Nec itè comprehenduntur, si creduntur, qui ex prohibitis aliquid ita paruum, & modicum deferunt ad Saracenos, vt lethalem culpam nõ contrahant: vt qui Saraceno admodum pusillum pugionè, vel gladiolũ dono daret, qui parum, aut nihil ad bellicos vsus conduceret.

Decimoquartò Quæritur, Quid intelligat Iura vocabulo *Necessariorum ad impugnandas Christianos*, quid item nomine *Prohibitorum*, quæ vetant ad Saracenos deferri; quid demũ voce *Belliarum instrumentorum*? Respondeo, *NECESSARIA* intelligi, non solũ ea, sine quibus Saraceni contra Christianos simpliciter pugnare nequeat, sed etiam sine quibus non ita cõmodè, & feliciter pugnarent: imò, & ea omnia, quæ Saracenos etiam aliquo modo iuuant ad pugnandum, velut cõmeatus, pecunia, & munimenta. Vnde in poenas inciderent, qui arma deferrent ad Saracenos, etiam si plus armorum possiderent, quam quibus opus haberent ad pugnam, licet Tabienfis aliter senserit.

*PROHIBITA* verò intelliguntur, quæcunque speciatim, vel generatim sunt interdicta. Porro in c. *Ita quorundam*, Quatuor expressim, & nominatim prohibentur: *Deferre arma, ferrũ, lignamina galearum, & gubernare Galeas, & piraticas naues Saracenorũ*. In c. *ad liberandã*, additur quintum, videlicet, *vendere galeas, & naues Saracenis, aut exercere gubernationem machinarũ bellicarum*. In extrauaganti, *multa*, sextũ adijcitur, *Deferre, portare, vel mittere equos, victualia, & alia quæcunque mercimonia Alexandriam, vel in alia quæcunque loca terræ Aegypti, vel extrahere, aut permittere, vt extrahatur prohibita ex portibus Christianorũ ad Saracenos deferenda*. In Bulla cœnæ Domini à temporibus Gregorij XIII. adiunguntur alia, nimirum, *Deferre ad Saracenos, vel Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, filum ferri, stannũ, chalybem, omnia alia metalli genera, atque bellica instrumenta, canabim, funes tam ex ipsa canabi, quàm ex quacumque alia materia, & ipsam materiam: & excõmunicantur, qui per se, vel per alium seu alios de rebus ad Christianæ Reipublicæ statum concernentibus in Christianorũ perniciem, & damnum, ipsos Turcas, Sara-*



cenos, Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisq; ad id auxilium consiliū, vel fauorem quomodolibet præstant. A Pontificatu verò Sixti V. additur: *qui prædicta deferunt ad Christiani nominis inimicos, vel Hæreticos per nostras, sine huius Sanctæ Sedis sententiâ expressè, & nominatim declaratos, &c. &c.* Deinde, aliq; huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Demum additur: *Qui certiores faciunt Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnâ Catholicæ Religionis. Generatim verò prohibentur, quæ verbis tantum generalibus interduntur. In c. Ita quorundam, vnum illud est: Subministrare necessaria ad impugnandos Christianos, quatenus sunt talia, hoc est, quatenus in eum finē diriguntur, vt Christiani oppugnetur. Alterū in c. Quod olim, scilicet, Deferre ad Saracenos quaslibet merces belli tempore, vel per se, vel per alios eis aliquarum subsidia præstantes. Tertiū est in c. Ad liberandā, Auxilium ferre, aut consiliū dare quomodolibet in damnâ Terræ Sanctæ. Quartū habetur in Extra uaganti, multa, de Iudæis, inter cōmunes: *Vitua, & mercimonia deferre ad loca Saracenorum Aegypti.* Quintum est in eadē extrauaganti, Multa. Opē, vel fauorem præstare quomodolibet Saracenis Aegypti. Sextū, In Bulla cōnæ Domini: *Deferre prohibita, aut certiores facere Christianæ Religionis inimicos, aut Hæreticos de rebus ad statum Christianæ Reipub. pertinentibus in damnâ Christianorum, vel Catholicæ Religionis, vel illis ad id auxilium, consiliū, vel fauorem quomodolibet dare.* Nominem autem bellicorum instrumentorum intelliguntur litui, tubæ, cornua, & alia similia, quibus solet vti ars militaris, & bellica.*

Decimoquintō Quæritur, Quo modo intelligatur excommunicatio irrogata in c. Ita quorundā, 115, qui in galeis, & piraticis Saracenorum nauibus regimen, & curā gubernationis exercēt. Animaduertendum est, nomen *galeis*, omitti in c. *Ad liberandam, de Iudæis.* Item, totam hanc clausulam præmitti in Bulla cōnæ Domini. Et quamuis Ioann. Andr. Antonius Butrius, & Ioannes Anania influent omnes Christianos, qui in Saracenorum nauibus quomodolibet inferuiunt, comprehendit: Abbas, & Felinus, omnes Christianos, qui in prædictis nauigijs remigant: Caietanus, omnes, qui earum nauium curam habent: verius tamen est, eos solos, & omnes includi, qui regimē, vel curam gubernationis exercent in galeis Saracenorum, sine piraticæ sint, siue secus: & qui id præstant in piraticis eorum nauibus. Quo fit, vt naves Saracenorum onerariæ excludantur. Neque hac excommunicatione afficiuntur omnes, qui nauigant, nec qui Saracenis inferuiunt in triremibus, vel piraticis nauibus eorum ad alios vsus à gubernatione distinctos: nec remiges, qui tanquam serui capti, vel mercede conducti in remigando Saracenis inferuiunt. In excommunicationem autem incurrerent, si eos iuuarent in pugna contra Christianos, vel remigando, vel arma tradendo, aut subministrando alia prohibita, vel auxilium, vel consiliū quomodolibet dando.

Decimosexto Quæritur, An tempore induciarum liceat Christianis prohibita, vel alias merces ad Saracenos importare? Respondeo, ex communi omnium sententiâ, id esse interdictum. Induciæ enim sunt ad tempus, in quo cessatur à bello ad certum diem inter hostes ex conuento, &

& pacto: quare quæ Christiani prohibentur ad hostes deferre tempore belli, prohibentur quoq; tempore induciarū deportare, vt colligitur ex lure ipso communi. Sciendum est iure civili eos, qui arma deferant ad Barbaros, hoc est, ad alienigenas, qui in Romano Imperio non erant, capitali sententiâ, & publicatione bonorū damnari solitos fuisse, l. vlt. c. *quæ res exportari non debeant*: puniebantur itaque huiusmodi homines, vt rei maiestatis, l. cuiusque ff. ad legem Iuliam maiestatis.

Decimoseptimō Quæritur, An Christiani à Turcis capti, vel à Saracenis, & serui effecti, & remigio mancipari, & addicti, lethalem culpam, & proinde excommunicationem contrahant, cum iussu remigant in bello contra Christianos metu mortis, verberū, aliorumue cruciatuū, quæ mala alioqui sustinerent, si à remigando desisterent? Nauarrus in Manua. c. 27. nu. 63. versic. Septima, quod Christiani, existimat eos quidem in excommunicationem non incurrere, sed tamen lethalem culpam contrahere, & proinde absolui non posse à peccatis, nisi remigandi mentem, & voluntatem exuerint. Priorem partem probat: *quia verisimile, inquit, non est, Ecclesiam excommunicatione eos ferire in tanto periculo consuetos, eos verò à lethali culpa non liberat, quia putat contra Christianos remigare, esse per se malum, & proinde, nec iussu dominorum, nec metu mortis à culpa excusari: non secus, ac si Saracenus seruo Christiano imperaret, vt furaretur alteri, vel aliquem hominem occideret. Deinde, quia Saracenorum bellū cōtra Christianos est iniustum: ergo eis etiam metu mortis inferuire Christiano seruo non licet. Præterea, quia huiusmodi remiges, qui operam suam in remigando ponūt, Saracenos aliquo modo contra Christianos iuuant. Hæc Nauarrus.*

Mihi autem aliud videtur: *purō enim, remigare, in eo, qui tanquā seruus est remigio addictus, & traditus, esse rē per se indifferentem. Est enim proprium, serui ad id destinati, munus. Vnde, sicut Nahaman non peccabat, tamen suo Principi inferuebat in templo Idola colenti, dum Regis imbecillitatem suis manibus sustentans, vna cum eo sese inclinabat, suo enim munere fugebatur: nec ancilla peccat, si dominam Ethnicam, & gentilem comitetur gestando caudā, & simul cum ea, in templo Idolorum genua flectat, nō quidem, vt Idolum veneretur, sed vt suum officium præstet: ita etiam Christiani in seruitutem redacti, & destinati remigijs, nequaquam peccant in remigando.*

At dices, Remigant cōtra Christianos. Fateor. Sed hoc illi faciunt, vt suo officio, & muneri satisfaciant: nec enim illi sua voluntate, & arbitrio sunt remiges effecti, neq; eis præcipitur solū, vt remigent contra Christianos, sed vt absolutē, & simpliciter remigent, quod non est per se malum opus. Quare cū remigare duro dominorum imperio, & iussu coguntur, minime adiguntur ad id præcisē contra Christianos præstandum, sed simpliciter, & promiscuē contra oēs, vt ita suum officium exequantur, & obeant. Aliud verò esset, quando iuberentur arma capere, & pugnare cōtra Christianos, aut furari, aut innocentem hominem occidere: hæc enim sunt per se mala, & proinde nullo metu etiam mortis facienda.

Ad id verò, quod obijciebatur, nimirū, Christianos in remigando Saracenis opitulari: responde-



mus, eos per se solum, quod debent officium, & ministerium, præstare, ex accidenti verò consequi, ut in eo Saraceni inuentur, qui nõ est eorum propositus finis: nec tamen inde efficitur, ut iure possint cõtra Christianos remigare, etiam quãdo ad id nullo metu adigerentur: tunc enim cõ omnis metus, & periculũ abesset, lege charitatis desistere à remigando deberent, cõ possent citra vllum incõmodum, Christianorum libertati, saluti, & vitæ prodesse. At verò tanto cõ suo detrimento, & malo, nulla lege compelluntur ad consulendũ aliorum vitæ, & bono. At cõmune bonum, iniquis, iure naturæ debet priuato præferri. Non distitemur id lege charitatis Christianos præstare oportere, vbi Saracenis, vel Turcis, pugna esset contra certam Christianorũ Rempublĩcã, aut contra Regem, vel Principem: sed in præsentia sermo tantum est de feruis Christianis, qui remigant in trirēibus, vel nauigijs Saracenorũ contra priuatos Christianos pugnantium.

Decimosẽptimũ Quæritur, An Saraceni Christianorum Principum iurisdictioni subiecti, puniri queant ob delicta contra legem naturæ commissa, aut contra Deum in ijs, quæ sunt illis nobiscum communia? Respondeo, posse: vt si furta, adulteria, parricidia, vel homicidia perpetrant, quoniã sunt crimina contra cõmunem Reipublicæ salutem, cuius ipsi quoq; sunt participes. Si itẽ Idola venerentur, si Deum negent vnum esse, si in Christũ religionẽmue Christianã maledicta conijciant: si Christianos in Christi, aut Christianæ Religionis odium, ignominiam, aut contemptũ male habeant: Si Sanctorum imagines conculcent, reliquias proterant, si cruces prosternant, resue alias sacras impiẽ, & nefariẽ polluant, violent, aut tractent. Vnde meritõ à Christianis Imperatoribus piẽ sanctitæ sunt leges, vt Idolorum templa clauderentur, & impia sacrificia cessarent, quod iussit Constantinus Magnus, l. placuit, c. de Paganis: & vt euerterentur, quod est postea à Theodosio imperatũ: nam ait Niceph. lib. 9. hist. eccl. c. 25. primus Constantinus sacrificare Damonibus prorsus prohibuit, aras autem eorum non sustulit, mandato illo promulgato, vt deorũ sana clausa essent, ne ab aliquo adiri possent, idem filij eius fecere: sed Theodosius legem tulit, vt deorum sana diruerentur. Teste igitur Nicephoro, simulacra, & statua deorum deijciebantur, frangebantur, & comminuebantur. Editæ quoq; sunt imperatoris leges, quibus Pagani in Christum, & Christianam religionem contumeliosi, & iniurij pecuniarijs poenis, atque etiam bonorum publicatione mulcarentur.

Decimo octauo Quæritur, An liceat Christianis Principibus impune permittere Saracenorũ ritus? Respondeo, ex parte licere, ex parte verò nõ licere. Si ritus sint ita supersticiosi, vt nec eorum secta, quam supersticiosẽ profitentur, congruẽtes sint, nequaquam eos tolerare Christianum Principem decet: quia, & à Christiana religione, & ab eorummet secta, quamuis impia, sunt alieni. Si tamen sint ipsorum proprij, nec à veteri, & antiqua professione discrepent, permitti, & tolerari possent ad plura, & deteriora mala euitanda; nimirum ad communem pacem Reipublicæ tuendam, ad dissidia, & odia profliganda, ad expeditio- rem eorum conuersionem. Nam cum eorũ vana,

& superstitiosa secta, tota vndiq; erroribus tectear, ac foeteat, facilius, citius, & cõmodius possunt hac ratione confutari.

## Caput XXIV.

### De Paganis.

Primõ Quæritur, quosnã Ecclesiastici scriptores Paganos appellant? Sciendũ est, Hebræos Gentium nomine appellare consueuisse oēs eos, qui erant alieni instituti, & aliorũ morum, & rituum, alterius legis, & generis: quo modo item Græci erant soliti vocare Barbaros quotquot Græci natione non erant. Sacri igitur Scriptores Paganos appellare cõeperunt oēs Idolorũ cultores. Quæres quando Paganorũ nomen cõeperit in Ecclesiã introduci, & quare Idolorũ cultores sint dicti Paganis? Dubitari non potest, Paganorũ nomen in Ecclesiã vsurpari cõceptũ esse temporibus Christianorum Imperatorũ, Constantini, Ioviniani, Valentiniani, Theodosij, Gratiani, Arcadij, & Honorij. Vnde apud Augustinũ, Operaum Mileuitanum, Orosium, Arnobium, Philastrum antiquos scriptores, frequenter legimus Gentiles hoc nomine vocatos. Porro Philaster lib. de Hæresibus cap. 3. Paganos dictos fuisse putat à Pagano quodam huius nominis, quem ait fuisse filium Deucalionis, & Pyrrhæ, regemque potentem, & inclytum, & proinde tanquam Deum habitum. Sed mirum profectõ est, si ab eo rege sint dicti Paganis, quo pacto ante tempora paulõ ante cõmemorata Idolorum cultores nulquam gentium legamus dictos esse Paganos. Isidorus libro 8. cap. 10. Etymologiarum: Paganus, inquit, dicti sunt ex Pagis Atheniensibus ex quibus orti: ibi enim in locis agris, & villis Gentiles, Lucos, Idolaq; sua, & delubra cõstituerunt: ideo Idolorum cultores cõepit appellari Paganus. Ceterũ hæc ab Isidoro ratio etymologiæ tradita mihi nõ placet, eadem ratione, qua Philastrij sententia displicuit. Beda, in Cantic. lib. 6. cap. 30. & in Marc. c. 15. in Luc. lib. 6. c. 23. & hom. in Fer. 3. palm. dictos esse Paganos voluit à villis, quas pagos Latini vocare consueverunt: à villis verò tales dictos esse contendit, quod lógè distet à superna, & cælesti ciuitate. At enim mystica est hæc etymologia: nos verò propria, historica, & quã vocant litteralem perquirimus, nec dubitamus plures simul rusticas domos, hoc est, villas vocari Pagos, & inde Paganũ, hoc est, rusticũ, qui ruri natus, & educatus sit, & Semipaganũ, hoc est, semirusticum; sed quærimus, cur Gentiles dici cõeperint Paganis, quãvis vrbani essent? Alcianus Paterg. lib. 1. c. 13. mysticè quoque hoc nomen exponit, cum ait, Idolorum cultores dictos esse Paganos, eo quod non sint adscripti Christiana militiæ, qua quis aduersus Diabolũ arma capefit. Connanus etiam lib. 9. Comment. cap. 13. Paganus, inquit, dicti sunt Gentiles, eo quod non essent milites Christi, qui solus dignus est, cui militemus. Legimus enim latinè dictos esse Paganos, quotquot à militia erant immunes, & liberi. Apud Iuriconsultos contraria sunt Miles, & Paganus, vt constat ex Marcello l. quaedam ff. de Pænis, & l. a. c. de milit. testam. l. si ignorat ff. locat. L. ius nostrum, ff. de reg. iur. Mihi tamen eorũ magis sententia probatur, qui putat à temporibus Christianorũ Imperatorum, Gentiles, nomine Paganos vocari cõepisse, eo q; imperatoris



ratorijs legibus claudi coepérat Idolorum fana,  
& delubra, & sacra Gentilium prohiberi in oppi-  
dis:quare pagos, villas, & agros adire cogebatur,  
& illic suos deos colere, & superstitiosa sua fa-  
cra facere. Urbibus igitur exclusi, in pagis, & vil-  
lis inanos deos colebant, & venerabantur,  
vnde & Pagani dicti sunt. Scribit Theodoretus li.  
3. cap. 3. Constantinū Magnum pugnaturum con-  
tra Magentium tyrannum, milites oēs sic volu-  
isse paratos ad bellum difficillimū, videlicet, vt  
sacro oēs baptisate initiarentur: Gentiles autē,  
qui id facere recusarent, immunes à militia do-  
mos suas redirent. Ex quo verisimile etiā est, cog-  
nisse Gentiles Paganos dici ea significatione, qua  
Paganos Latini eos nominabāt, qui erant à mili-  
tia immunes, & liberi. Quidquid sit, certum est,  
Gentiles vocari Paganos. Aug. lib. 3. retract. c. 43.  
*Deum salorum cultores vsitato nomine Paganos vocamus.*

Secundo Queritur, An Pagani Christianorum  
principū potestati, & iurisdictioni subiecti, cogi  
queant, vt fidē Christi recipiant. Minime, vt col-  
ligitur ex *de Indis, qui iuxta, d. 45. & sicut, de In-  
dis, & docet. S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 8.* cuius sentētia est,  
cōmuni consensu recepta, cū enim credēdi actus  
sūt voluntarius, ac liber, quempiam ad Fidē adigi  
minimē potest. Nec solum Christiana fides à vi  
omni atq; coactione debet esse aliena, sed etiam  
absque metu mortis, seruitutis, carceris, suppli-  
ciorum, aut similibus malorum suscipienda est.  
nec enim vsquam legitur cuiquā hęc mala ideo  
in cussa fuisse, vt ad fidem, & religionē Christia-  
nam traherentur.

Quæres, An muneribus, & donis, officijs,  
& obsequijs Infideles ad fidē, allici possint? Res-  
pōdere posse, cū id nihil humanę voluntati deroget,  
aut libertati. Ex quo infertur posse fidelē foemi-  
nam, remoto quolibet iure humano scripto, cum  
Pagano cōuenire, ea conditione: Te in virum ac-  
cipiam, si sacro baptisate initiaberis. Princeps  
item, tuta conscientia suam fidem obligat, ea cō-  
ditione, vt qui baptisatum susceperint, à certis  
tributis, vectigalibus, & oneribus sint immunes.  
Præterea, si qui fuerint rei capti, eadem condi-  
tione, & pactione possunt vita donari. Neq; enim  
in his vlla vis infertur. Nec Simonie crimen con-  
trahitur, quoniam temporale commodum pro  
re spirituali non datur, sed officijs, Pagani volū-  
tatem, & animū cōciliamus, & ad id, quod alio-  
qui de iure diuino prestare deberet, nobis deuin-  
cimus, & ad suę salutis studium, & amorem in-  
ducimus.

Tertio Queritur, An iidem Pagani iure com-  
pellantur ad Euangelium audiendum? Quidā ar-  
bitrātur, eos minimē ad id posse cōpelli, eam ob  
causam, quod Euangelij auditio ad Fidem ample-  
ctendam per se directio tendit: sed ad credendū  
adigi nequeunt, ergo nec ad audiendum compelli.  
Ceterum alij putant, eos cogi ad audiendum  
iure posse: quoniam eo facto tantum curatur, &  
efficitur, vt sacris diuini verbi concionibus in-  
ter sint, nec enim recitē inde concludas, eos pro-  
inde ad credendum compelli. Mihi sanē hoc pro-  
babile apparet: atq; huic sententię fidem faciūt,  
quæ extant pontificiæ cōstitutiones, quibus præ-  
cipitur Iudæis, vt certō quodam hebdomadæ die  
conuocati, aliquem Theologum doctorem, ali-

umue idoneum virū audiant. Id iussit Gregorius  
XIII. in constitutione, quæ sic incipit: *Sancta Mater  
Ecclesia, & ante eum Nicolaus III.* aliam ediderat,  
qua iubebat, nunciari Euangelium Iudæis, & eos  
ad audiendum conuocari.

Quarto Queritur, An Pagani Iudæi, vel Sara-  
ceni ex oppidis, omniq; Christianorum ditio-  
ne iure expelli, & eijs queant, ea tamen lege, & con-  
ditione, vt si remanere velint, Christi Domini re-  
ligione, & sacris imbuatur, & sancto baptisate  
regenerentur, datis inducijs, & deliberandi tem-  
pore constituto: sin minus relicis sedibus pro-  
prijs ad alienas confestim sese conferant. Respō-  
dent aliqui, posse. Nam quamuis Oldradus, Ale-  
xander Imola, & Socinus, Corfettus, Albericus,  
quos citat Simancas *de Cathol. instr. tit. 35. nu. 6.* do-  
cere videantur, Principem Christianum, nō pos-  
se è terris suis expellere Iudæos quietē, & pacifi-  
cē viuētes, propterea, quod eis iure naturę cha-  
ritas, æquitas, & misericordia debeantur, & nul-  
lus innocens suis rebus, & præsertim domicilio  
sit spoliandus; & ius canonicum veret, eos vlla  
molestia affici. Artamen id inquit, sub nostrā  
ferme ætate in Hispania à Rege Catholico Fer-  
dinando huius nominis V. factū fuisse legimus, vt  
tradit Simancas *de Cathol. instr. tit. 35. nu. 7.* ex multo-  
rum hominum doctissimorum consilio, & sentē-  
tia. Iussit enim Saracenos, & Iudæos quoque ab  
Hispanis discedere, quo vellent intra quadrimi-  
stre temporis spatium: vt vel ad fidem, & religio-  
nem Christianam conuerterentur, vel bonis suis  
omnibus venditis ab Hispania decederent: eis ta-  
men, qui sacro baptisate intingi cuperent, re-  
manere concessit. In hoc enim vis simpliciter nō  
infertur; sed libera optio datur, vt vel Christia-  
norum prouincias deserant intra certum tēpus,  
vel Christiani fiant. Hinc Iustinianus Imperator,  
vt Paulus Diaconus auctor est *in vita eius*, tertio  
sui imperij anno legem tulit qua ex suę ditio-  
nis terris Paganos, & Hæreticos exclusit, datis indu-  
cijs trium mensium, vt conuerterentur ad Chri-  
stum, si vellent. Et in Concilio Toletano 6. cap.  
3. teste L. Marino Siculo lib. 19. & Albertino in  
*Rabri, de heretic. in 6. q. 2.* & Simanca, *de Cathol. instr.*  
*tit. 35. num. 7.* constitutum est in hunc modum: *Inspira-  
tione summi Dei, Excellentiss. & Christianiss. Princeps ar-  
dore Fidei inflammatus, cum regni sui Sacerdotibus, præ-  
uaricationes, & superstitiones Iudæorum eradicare voluit  
funditus, nec sinit degere in regno suo eum, qui non sit Ca-  
tholicus: & vt quisquis succedentium temporum regni for-  
titus fuerit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam  
inter aliqua conditionum Sacramenta pollicitus fuerit, nul-  
lum non Catholicum in regno suo se permitturum. Sic ibi:  
Nec desunt iustæ, & debitæ causæ, cur eijs auantur:  
nā multa impiē, & nefariē peccant contra Rem-  
publicam Christianam. Porro Principibus mi-  
nimē liceret Iudæos, Saracenos vel Ethnicos suis  
finibus eijsere, fortunis, rebus, ac bonis priuatos:  
tunc enim bonorum illi suorum veriti iacturam,  
ad Christi fidem compelli viderentur.*

Quinto Queritur, An etiam Pagani adigi pos-  
sint a Principe Christiano, in cuius ditio-  
ne versantur, ad deorū suorum cultum abijciendum, ad  
legem naturę seruandam, ad idolorum aras, de-  
lubra, & fana deferenda, ad ritus superstitiosos  
respuēdos, ad omnē demum impietate sacrilegā

Simancas.  
de Cathol.  
instr. tit. 35.  
num. 6.

repudi-



repudiandam? Respōdeo, Christianos Principes, & Imperatores olim leges sanxisse, quibus hæc abolerentur. Nam, ut constat ex Codice Theodosiano. l. 2. c. 4. & 6. & sequenti. Tit. de Paganis sacrificiis, & templis, Constantinus Magnus præcepit l. 4. ut Idolorum fana clauderentur. Et l. vlt. Theodosius, & Valentinianus imperarunt, ut omnia fana, & delubra diruerentur, & alij Imperatores interdixerunt Paganis sacrificijs, & ritibus vanis, & superstitionis. Et in Conc. 5. Carthag. can. 15. decretum est, ut patres peterent ab imperatore, ut quæcunque residua essent superstitiones gentilium, omnino deleterentur, siue in lucis, siue in arboribus, siue in simulacris. Pauld etiam supra tradidimus Gregorium XIII. Cōstitutionem edidisse, in qua Iudæis multis rebus interdixit: quæ Cōstitutio non solū contra Iudæos, sed generaliter contra Infideles quoslibet edita fuit. Ex quibus omnibus patet, posse Paganos legibus Principis Christiani, cuius ditioni, & imperio subiiciuntur compelli, ut vñ Deum reuerentur, Idolorum cultū abijciant, leges, & iura naturæ custodiant, nihil deniq; in contemptum Christianorum, & rerum sacrarū audeant perpetrare. Nā hoc ipso, quod Christiani Principis ditioni subiecti sunt, quem admodum cogi possunt eas leges seruare, quæ ad commune Reipublicæ bonum, videlicet salutē, tranquillitatem, & pacem pertinent; quoniam interdici eis potest, ne noctu arma deferant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promissa violent, ne frumenta extrahant, ne furta, adulteria, homicidia committant: sic etiam adstringi possunt ad germanum, & verum cultum vni Deo bonorum omnium auctori deferendum, ad Idola è medio tollenda, ad iura naturæ conferuanda. Ceterum Christiani prohibentur in Paganos iriure, aut eorum bona diripere priuata auctoritate. l. Christianis, c. de Paganis, quæ lex lata est, ab Imperatoribus Honorio, & Theodosio.

Sexto Queritur, An Princeps Christianus, videlicet Imperator, Rex, Romanusve Pontifex ius habeat, & potestatem inquirendi, & animaduertendi in Paganos sibi non subiectos, ea ratione qua infideles sunt? Hanc quæstionem tractat Couarr. in regul. peccatum. p. 2. §. 10. num. 1. Hostiensis Augustinus Anconitanus, Aluarus, Pelagius, Oldradus, quibus videntur assentiri Ioann. Andr. Panormitanus, Albertinus, & alij Canonici iuris interpretes, quos oēs citat Couarr. loco citato, tradiderunt, Ecclesiam ius habere contra Infideles agendi, si generalem eius in totum terrarum orbem sibi à Christo Domino potestatem traditam recusent, & negligant. Censent enim illi Christum Dominum, ut hominē, ius, & potestatem in oēs terrarū nationes, & gentes à Deo accepisse, quemadmodum ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra:* & hanc auctoritatem Petro tanquam suo in terris Vicario, eiusq; successoribus reliquisse, & proinde posse Romanum Pontificem Principi Christiano vices suas demādere, ut in Gentes inquireat, & animaduertat, propterea quod Christianæ fidei renuant sese submittere.

Communi tamen Theologorum consensu recepta est sententia eorum, qui negant esse penes Ecclesiā id iuris, & potestatis. Sic Innocen. Cardinalis, Dominicus, inter Canonici iuris inter-

pretes, sic etiam S. Thomas, Antonin. Silu. Caiet. & alij Theologi, quos omnes refert, & sequitur Couarr. in regul. peccatum. p. 2. §. 10. num. 2. proinde Paganos non sine iniuria ad Fidem recipiendam compelli. Neque enim eo iure, & auctoritate Ecclesia hæctenus est vsa. Christus quoq; Dominus præcepit quidem, ut omnes fidem eius, & religionem susciperent, si salui esse vellent: ita tamen, ut quisque ad Fidem sponte veniret, non autem, ut traheretur inuitus.

Septimo Queritur, An penes Principes Christianos sit ius cōpellendi Paganos sibi non subditos ad audiendū Christi Euāgelium? Quidam negant, ea ratione ducti: sicut eis liberū est credere, ac fidem habere, sic etiam, & sacrū Euāgelium audire. Alij verò affirmant, putant enim, non idem esse iuris de credendo, quod est de audiendo. Nō enim consequens est, ut si ad audiendum adigantur, eo ipso, compellantur ad credendum; qui libet enim potest spōte ac libere audita credere. Equidem negari non potest, quin si viri probatæ vitæ, & speciatæ virtutis mitterentur ad Christi Euāgelium Paganis annunciandum, iure naturali digni essent, qui audirentur, nec iure vllus Paganorum Princeps, aut prohiberet, quo minus Paganus, qui vellent, Euāgelium audiret, aut idoneos Christi nuncios ac præcones, & interpretes impediret, ne illud annunciarent. Alioqui enim his, aut illis vim, & iniuriam manifestam afferret. ita Couarr. in regul. peccatum. p. 2. §. 10. num. 3. ubi id colligit ex S. Tho. Cai. & alijs.

Octauo Queritur, An Princeps Christianus iure possit Paganos debellare, eo nomine, & causa, quod Idola, & simulacra inanum deorū, venerentur, & colant? Lyranus, & Abulenſis Episcopus, Alphonsus Castrius, Aluarus Pelagius, ut refert Couarr. in regul. peccatum. p. 2. §. 10. num. 5. insinuant videntur, id posse: quod probant tum ex c. Si de rebus, 23. q. 3. tum auctoritate diuina: nam Deus iussit Israeli populo Chananæos, aliasque gentes Idolorum cultrices expugnare, concidere, & delere, ac perdere. Alij verò contra arbitrantur id fieri iure non posse: quoniam Pagani licet Idola colendo grauer peccet: Principibus tamen Christianis nullo iure subiecti sunt. Nec enim si vnus Reipublicæ cuius delinquat, alia Reipublica ius habet in eum inquirendi, & animaduertendi. Horum sententia mihi certè magis arridet.

Nondo Queritur, An quia Pagani naturæ leges, & iura violant, à Christianis Principibus iure puniri possint, ita, ut ad legem naturæ seruandā cōpelli queant? Dux sunt opiniones: prima affirmat, quam probant Innocentius, Hostiensis, Io. Andr. Augustinus, Anconitanus, Panormitanus, Aluarus, Pelagius, Antoninus, Siluester, quos citat Couarr. in regul. peccatum. p. 2. §. 10. num. 4. Ratio eorum est: quia quisq; ex rationis præscripto viuere debet: ergo si naturæ iura labefactet, corripi, ac puniri potest. Alter opinio id prorsus negat, estq; Turcremata Cardinalis, Francisci Victoræ, Socii, ut testatur Couarruuias, loco citato, ob eam rationem videlicet, quoniam licet Pagani naturæ leges, & iura perfringant, non sunt idcirco tamē illi Christianis subiecti Principibus. Occurrit: Reipublica omnis ius habet sese defendendi, ac tuendi: ergo si Paganus Princeps iura naturæ per-



uerat, aut passim à suis populis peruerti impune sine, regnare; omnium malorum licentiâ; poterit seipsam tueri, ac proinde Christianos Principes ad sui auxilium vocare. *Respondeo*, auctores tantum loqui de ijs casibus, in quibus Ethnicus Princeps vnâ cum gentibus, & populis sibi subiectis iura naturæ, & leges conuellit, non autem de ijs, in quibus Princeps ius naturæ violat populo sibi reclamante.

Mihi in hac controuersia respondendum postea distinctione videtur. Aut enim Pagani id ius naturæ non seruant, quod debitum Deo cultum, & honorem tribuendum præscribit: aut id, quod cuiq; homini reddendum, quod suum est, iuber. Si loquamur de priori iure naturæ, nequeunt Pagani iuste puniri, eò quòd diuinum cultum, & honorem despiciant. Si verò de posteriore, quo ius naturæ dissoluit, perumpunt, & negligunt, puniri iure queunt: vt si furta, latrocinia, adulteria, homicidia, falsa testimonia, incestus, supra, aut perpetrent ipsi, aut liberam concedant facultatē huiusmodi mala perpetrandi, aut passim in alijs, quos iure suo ab ijs malis coercere possunt ac debent, sine vlla pœna supplicioq; permittant. His enim legibus naturæ violatis, plauē consequitur, vt innocentes multis damnis, incòmodis, & malis afficiantur. Iure autem naturali innocentum iniurias propulsare, & possunt, & debemus. Item, quia eiusmodi mala communi Reipublicæ saluti, paci, & bono officiant, & nocent.

*Decimo Quaritur*, Quibus in rebus Principes Christiani ius habeant còtra Paganos agendi? *Respondeo*, cum Couarruua, loco citato nu. 3. *Primò* in eo, ne aditum præcludant idoneis Euangelij nuncijs ad eos destinatis, eos excludendo, aut indignè, & contumeliosè tractando. *Deinde* ne in Christum eiusue religionem, & fidem probra, & maledicta conijciant. *Præterea*, ne eos impediât neue remorentur, qui se ad Christum conuertendi desiderio tenentur. *Item*, ne eos persequantur, qui Christi Euangelium audire cupiunt, student, aut, annunciandum sibi, & audiendum curât. *Insuper*, ne quouis modo ad Christum conuersos infestent, opprimant, vexent. *Tum etiâ*, ne vi, metum, mendacijs, fraudibus alios inducant ad simulacra deorū veneranda, ad thus eis adolendū, aut ad legem naturæ peruertendā, aut ad susceptā Christi fidem deserendā: non tamen si exemplo, verbis, monitis, precibus, muneribus ad id eos alliciant & inuicent. *Postremò*, ne suos, vel alios vanis suis Dijs immolent: item ne eos permoueant, ac incitent ad immolandos homines, vt dijs suis inferuiant, vel ad eos macellandos, vt vesci queant eorum carnibus more ferarum. Sed quid, si fontes homines alioqui capitis pœna damnati, dijs immolari apud eos Ethnicos soleant, aut macellari, vt eorum carnes edantur? *Respondeo*, nihil hoc referre: fontes enim iure quidem capite puniuntur, nefariè tamen, & impie dijs immolantur, aut ob humanarum carnum esum necantur.

*Vndecimo Quaritur*, An Ecclesia supersticiosos inaniū deorum ritus iure toleret in Paganis Principi Christianorum ditioni, & imperio subiectis? *Respondeo* S. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 11. aliquando iure permittere, eâ scilicet ob causam, vt plura, vel grauiora, & deteriora mala vitentur, qua-

lia forent, si Pagani inde grauiter offenderetur: si diffidia, & odia inde oritura probabiliter crederentur, si ad Fidei, & Religionis Christianæ dogmata amplectēda, aditus difficilius redderetur.

*Duodecimo Quaritur*, An Ecclesia citra iniuriâ Paganos sibi subditos priuet dominio Christianorū seruatorū? *Respondeo* S. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 10. Ecclesiâ primis Christianæ Reipublicæ nascētis iniurijs permisisse, vt Pagani ius, & potestatem haberent in Christianos seruos: postea tamē eos oēs in libertatem vindicasse: atq; id meritò fecisse: quoniâ multis experimentis didicit, Christianos seruos dominorum varijs fraudibus, atq; artibus seduci, corrūpi, peruerti, à Christianis institutis deficere, ad vitia tandem permoueri, flecti, & pertrahi, interdum etiam, in contemptum Christianæ Religionis, contumeliosè tractari. Quibus malis, & incommodis, vt obuiam iret Ecclesia, còstituit, ne Pagani seruos Christianos haberent, quod ob commune Fidei, & Religionis Christianæ bonum potuit iure decernere.

*Decimotertio Quaritur*, An Christiani bello capti à Paganis, & serui effecti ab eis fugiendi ius habeant? *Respondeo* ex còmuni omnium consensu si in bello iniquo sint capti, eos tuta conscientia posse fugere. seruitus enim non nisi iusto bello potest induci. *Præterea*, Christianis Saracenum, vel Turcarū bello captis, & redactis in seruitutem, semper licet fugere, & ad Christianos redire, vt ex communi omnium sententia docet Couarr. in regul. peccatum, par. 2. §. 11. nu. 6. contra Alciatum, & quosdam alios: quoniâ Turcarum, & Saracenum bellum contra Christianos est iniustum, & iniquum. pugnant enim illi, vt Christianâ Religionem disperdant, ac funditus deleant. Christianis item seruis apud Turcas, & Saracenos frequenter periculū imminet perfidiæ, & impietatis. *Quæstionis igitur* huius nostræ caput est de seruis Ethnicorū bello captis, qui contra Christianos iure dimicant, & bella gerunt. De quibus primò dicimus, tuta eos conscientia posse fugere, si probabile periculum impēdeat impietatis, aut cuiuslibet alterius peccati. solent enim Christiana Infidelium mancipia varijs modis, & artibus sollicitari, premi, & vrgeri ad Christi fidem deferendam, & ad vitia consecranda. *Deinde*, hoc etiam impedimento sublato, ius est eis fugiendi, se q; propriendi à Dominis suis: quoniâ, vt suo loco planius còstabit, seruis iure belli captis potest bona fide, & tuta conscientia fugere, vt ad suos reuertatur, non autem, vt intra hostium prouincias maneat, vt docet Couarr. lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num. 10. ius enim belli interpretari iuribus oportet. Milites itaque bello capti in seruitutem rediguntur, ea tamen conditione, vt nulla Domino vi illata fugere possint, causa ad suos redeundi: nò tamen idem iuris est in seruis, qui sponte sese vendiderūt. *Quæres*, an Christianis mancipijs apud Saracenos, Turcas aliòsue Paganos degētibus, liceat aliquid Domino furari, vt habeat, vnde in via, dū fugiunt, sustententur? *Resp.* quidam, Principibus quidē Christianis esse ius aduersus Turcas, & Saracenos bellū gerēdi, & proinde eos iure belli rebus suis spoliandi, quia Christianorū Prouincias iniuste occuparunt, & occupant; at verò priuatis hominibus ius non est

furto



furto eis aliquid subtrahēdi: furto enim est per se malum, nec ius permittit etiam hosti furari. Quare Christiano seruo nefas est quicquā de sui domini bonis subripiendo, sibi ad fugā prospicere. Quod si fugā negociū absq; furto in animē succedat, abstinere tunc temporis à fuga debet: quoniam perinde est, ac si comodam, & opportunam fugiendi occasionem nactus non sit. *Nec enim sunt faciendā mala, (vt nos monet Apostolus) vt veniant bona.* In aliud igitur tempus fugam rejiciat, vt cū necessaria, per Diuinam prouidentiam, vitæ subsidia sibi comparauerit, optatæ libertati per fugā tunc consulat. **ROGABIS** forsitan; Quid si alia necessaria vitæ, & iam ante comparata in fuga deficiant? *Resp.* fugienti licebit, quod est fugæ prosequendæ, vitæque tuendæ necessariū vndeunque conquirere, & capere, nisi aliunde id suppetat sibi: tunc enim in extremam est inopiā, & egestatem redactus. Alijs tamen videtur probabilius, fas esse Christiano seruo apud Turcas, vel Saracenos capto, auferre domino suo ea omnia, quæ sunt ei necessaria ad fugam, & ad iter faciendum, quo reuertatur ad suos; eò quod inique possideatur à Domino: Item, quia vim patitur, dū detinetur. Item, quia potest iure operas, quas prestitit, compensare alijs rebus.

**Decimoquarto** Queritur, An Christianus iure eas res Paganis vendat, quibus ad suas superstitiones abuturos certò nouit? **Questio** ex eo pēdet quòd Ecclesia, c. *Iudei. c. consuiuit. de Iudeis, c. 1. vt. c. de Iudeis,* permittit veteres Synagogas reficere, & quæ ruinam minantur, fulcire, ergò licet Christianis lapides, calcem, & ligna ad eas reficiendas, & muniendas vendere Iudæis. Deinde, Paganorum delubra, cū sint domus, in quibus habitare possimus, vidētur esse res mediæ, & indifferentes, quarū bonus etiā vsus esse potest: ergo pari ratione Christianis licet id vendere Paganis, sine quo eorū fana exedificari nequeunt. *Respondeo,* opus hic esse distinctione ex S. Thom. 2. 2. c. 169. a. 2. ad 4. c. Caiet. 2. 2. q. 169. ar. 2. *resp.* ad 4. dub. 1. & Maiore. 4. d. 15. q. 15. s. tertio arguitur. Aut enim quæ venduntur Paganis, per se ad superstitiones eorū ritus, & cæremōnias spectant, aut sunt res mediæ, & indifferentes. Si primi generis sint, Christiani eas res non bona fide, & conscientia vendūt, cū sint per se mala, & proinde eis Pagani bene vti nequeunt. Si verò secundi generis fuerint, sine damno cōscientiæ eas res Christianus vendit Paganis, quāuis prænouerit eis malè Paganos vsuros, quòd enim eæ res emptæ in malū finem dirigantur, Paganorū, qui emant, vitio, non Christiani, qui vendit, culpæ tribuendum est. Nec lex charitatis Christianū hominem ad eò adstringit, vt abstinere debeat à vendendo: tū quia Pagani homines ex deprauato voluntatis studio, & affectu delinquant, tum etiā quia Christianus, res suas simpliciter venales exponit, nec tanto cū rerū suarum detrimēto, Pagani bono cōsulere debet. **Cæterum,** obijcies; si Paganus ea emeret ad nocēdum alteri homini, Christianus scienter proculdubio vendendo delinqueret: ergo malè pariter faceret rem vendendo Pagano, quā prænosset ei non paruo damno futuram. *Respondeo,* non esse in vtroque casu idem iuris, quoniam in altero tueri nos oportet iustitiam innocentis, cui Paganus

desiderat, & conatur officere: in altero verò Paganus vult sibi tantum obesse, non alteri.

Ex dictis manifestum est, non licere Christianis, quicquam vendere Paganis ad eū finem, videlicet, vt extruantur, reficiantur, aut fulciantur, aut muniantur Idolorum fana, aut Saracenorū delubra, Mezquittas vulgo nominant, quoniam hæc impio cultui, & superstitioni deseruiunt. Nec tē ad eum finem, scilicet ad Synagogas Iudæorum ædificandas, eò quod per se, & natura sua ad Iudæicos ritus, & cæremōnias dirigitur. Nec, si veteres Synagogas Ecclesia reparari permittit, aut fulciri ruinosas, atque labantes, ideo rectè deducas, fas esse Christianis vendere Iudæis ligna, cæmentum, & lapides quibus reparantur: nam ea vendere in eos vsus, & ad eum finem, sua natura malum est. Ecclesia autem Synagogas Iudæis reparari concedit, ea conditione, vt ipsi per se id efficiant, non autem opera, & ministerio Christianorum. Ergo siue vendendo, siue laborando, aut qualibet ratione iuuando, siue operando, tū in veteribus Synagogis instaurandis, tum in nouis erigendis Christiani delinquant. Quoniam, etsi res, quæ venduntur, sunt sua natura mediæ, & indifferentes, vendi tamen iure à Christiano non possunt ad finem nefarium, & impium: secus est si Christianus eas res vendat Paganis, ad finem sua natura indifferentem, quamuis nouerit Paganum eis rebus malè vsurum.

### Caput XXV.

#### Quædam alia quæstiones de Paganis diluuntur.

**Primo** Queritur, An filij Infidelium paruuli inuitis eorum parentibus sacro baptismate donari, & ablui queant? *Animaduertendum* est triplicem esse huiusmodi paruulorum seu infantium differentiationem. Aut enim sunt filij Hæreticorum, aut Saracenorū, vel Ethnicorum, qui ad Christianam ditionem, & imperiū minime pertinent; aut eorūdem, qui ad eam ditionem pertinent: de quibus singulis suo ordine dicendū breuiter est.

**Primum** igitur, nemo negat ius esse penes Ecclesiā, Hæreticorum infantes inuitis ipsorum parentibus Christianæ Religionis sacris imbuedi, quoniam illi eiusmodi sacra suscipere, ad ea que seruanda semperq; retinenda, sese Ecclesiæ obligarunt: ergo, sicut Ecclesia in eos inquirendi, & animaduertendi ius, & potestatem habet, quò ad eius gremiū, vnde discesserant, reuertantur, sic & iure potest eos cōpellere, vt filios suos eisdē sacris imbuant, & informant, & proinde iure etiā æquissimo eorum filios subtrahendi, & sacro baptismatis fonte abluendi potestatem habet Ecclesia: eò quod parentes illi, cū sint hæretici, iure, & potestate, quā habent in filios, malè contra fidem Ecclesiæ datā vrantur. **SED QUÆRES,** an Ecclesia eorū filios vel subtrahat, vel ereptos, iam baptismate renatos in Christo, debeat patribus suis restituere, si repetant? *Resp.* nec debere, neq; verò posse: non potest, quoniam haud dubiè à patribus seducti corruerentur breui: nō debet, quia meritò Hæretici omni patria illa, quam in filios

habent,



habent, potestate priuantur. Et filij sui iuris effecti, curæ Ecclesiæ relinquuntur.

Secundò quæritur, An infantes Paganorum, qui sub Christianis non sunt, citra peccatum saluari baptisimi vnda perfundere possimus, parentibus eorum inuitis? **Respondeo**, ex communi omnium sententia, quam habet S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 12. & 3. part. q. 68. art. 10. id fieri sine peccato non posse, alioquin enim parentibus auferri deberent infantes: at parentes illa, quam à natura habent, in filios patriâ potestate priuari nequeunt. Deinde, vt nemo in adulta ætate constitutus ad fidem compelli debet, ita nec paruuli sunt vi ac potentia ad Baptisma rapiendi, at voluntas infantum censetur suorum parentum voluntas. Ergo si parentibus ipsorum remittentibus, & reclamantibus, baptisimato donentur, eo ipso, ad fidem videtur compelli. Præterea, Christus Dominus, qui baptisimum, vt peccatorum remedium, & medicinam instituit, voluit, vt vel proprio cuiusque iure, & voluntate, vel saltem tacito, & expresso parentum assensu reciperetur, neq; aliter ab Ecclesiâ conferretur. Postremò, nunquam hæcenus Ecclesiâ hoc iure, & potestate vsa est, cum tot in primis Christiani Imperatores, tamque Pij Pontifices præcesserint. At inquires, Ecclesiam ideo nunquam id tentasse, tum ne Paganis offenderentur, tum etiam ne filij ad parentes redirent, à quibus postea perverterentur. **Respondeo**, nihil argumento concludi: nam si hæc duo tantummodo obstitissent, quò minus Baptisma eis conferretur, non deforent remedia, quibus hæc, & similia mala caueret, & declinaret Ecclesiâ. Ergo similis vero est, Ecclesiam id nunquam fecisse, quia simpliciter id ius faciendi non habet.

Deinde oppones; si pater filio corporis vitam eripere conaretur, posset quisque filium ei auferre salutis causa, sed mors animæ deterior est morte corporis, ergo iure posset quis patri filium eripere, vt vitam ei largiretur æternam. **Respondeo**, iure naturæ nos obligari ad vitam innocentis tuendam, & conseruandâ; & proinde ad necem, quam pater suo filio machinatur impediendam, præsertim cum pater ipse ob tentatum parricidium, patriâ potestate iure optimo priuetur. At verò, noluit Christus Dominus, vt baptisima alicui paruulo conferretur, licet sit ad salutem animæ necessarium; contra voluntatem eius, cui est ipsius paruuli cura commissa: sicut prouectæ ætatis hominem remittentem, & reluctantem non possumus ad fidem compellere, quem tamen, si mortem sibi consciscere niteretur, possemus iure à tanto facinore impedire, & prohibere. **Postremo obijces**, si pater filium ad furta, homicidia, adulteria, atque alia id genus flagitia conaretur inducere, omni iure posset ei filius auferri, ergo pari ratione si filium à baptisimato prohibere contendat. I. Si Lennox, C. De Episcopali audientia sancitum est: Si Lennoxes patres, aut Domini filii, vel ancillis peccandi necessitatem impouerint; liceat filiabus, & ancillis Episcoporum implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absoluti. Vnde meretricibus iure optimo filia subtrahuntur, si eas prostituunt. **Respondeo**, imparem esse rationem, quoniam eiusmodi peccata labefactant communem Reipublicæ pacem, & salutem, quam tueri, & conseruare debemus. at cum pater

filium prohibet, & absterret à baptisimo, nihil contra Reipublicam peccat. Deus autem Baptisma in remediū quidem paruulorum instituit, sed parentum tamen cura, diligentia, & opera conferendum.

Tertiò quæritur, An filij nati ex vno parente Christiano, altero verò Iudæo, vel Pagano, iure possint baptisimato donari id annuente, & volente parente Christiano, altero verò renuente, & reclamante? **Respondeo**, posse, quod aperte constat ex cap. Ex literis, de conuersione Infidelium & ex cap. Indei 28. quæst. 1. **ROGABIS**; Quid si pater qui contradicit, & renuit, sit Paganus, mater verò, quæ vult, & annuit, sit Christiana? **Respondeo**; alterutro parente Christiano filius potest iure baptisimato abluī, dummodo parens fidelis diligentem curam suscipiat, filij instituendi, caueatq; ne ab altero parente infideli seducatur. Dices; Partus sequitur vterem, filius enim ex ancilla susceptus, è patre libero est seruus, & contrà natus ex matre libera, & seruo patre, liber est, ergo si filius fuerit ortus ex matre Ethnica, Christianus effici non potest. **Respondeo**, id secundū leges ciuiles, & iura locum habere in ijs, quæ ad libertatem, & seruitutem hominum pertinent: at verò ob commune Fidei bonum iure decretum est, vt siue pater, siue mater fidelis sit, filius salutaris baptisimatis aqua abluatur. At, secundum leges, inquires, patrem solummodo non matrem habere patriam potestatem in filios, ergo matre fidelis annuente, & patre Ethnico reclamante, filius non potest baptisimatis aqua proluī. **Respondeo**, vbi de communi Fidei bono agitur, nullam haberi rationem patriæ potestatis, quam leges, & iura Romanorum sanxerunt: Et propterea mater fidelis, quamuis ei ius ciuile patriæ potestatem non tribuat, ius habet ad Baptisimum filium offerendi. Sed quid, si vterque parens tum fidelis, tum infidelis, filium prohibeant baptisimo, poteritne Ecclesiâ, contra voluntatem eorum baptisima filio conferre? **Respondeo**, posse, quia aliquando contingit, vt parens fidelis abnuat, quia vult infideli coniugi placere, eiusque sese accommodare voluntati; tunc itaq; filius tunc poterit baptisimo donari: ad hoc enim satis est, si alteruter parens sit fidelis baptisimato renatus in Christo: nam eo ipso, Ecclesiâ ius habet eum cogedi, vt filium offerat ad baptisimum. Quod si renuat, tunc, eo ipso, Ecclesiæ curæ, & prouidentia filius relinquitur. **POSTREMO ROGABIS**; Quid dicendum, si dum filius vtroque parente infideli susceptus infans est, alteruter parens ad fidem conuersus baptisimato recepto sese Christianis adiungit, an filius quoque iure possit ad baptisimum offerri, vt in Christo renascatur? **Respondeo**, eum posse, & debere, quamuis parens infidelis obluetur, ac repugnet.

Quartò quæritur, An si parentes infideles longissime absint, & distent à filijs paruulis, liceat Christianis, in quorum manus filij deuenerint, eis baptisima conferre? **Respondeo**, licere, quia perinde est, ac si essent omni parentum, & auxilio destituti: quorum Deus curam demadavit ijs, ad quos aliqua tadem ratione peruenerint. Quare illi siue bello capti, siue furto, siue violentia sublatis, siue emptionis iure acquisiti, ad Christianum hominem transferunt, baptisimo abluī, & res Fidei, & Religionis Christianæ edoceri debent.



At inquires, parentes renitētur, quod verisimilius est. Concedo: sed eorum curā subtracti iam in Christianorum devenire potestatem, & iurisdictionem, ad quos de eorum salute cura pertinet. Quid si parentes non longē absint, & conveniri, & cō sili facile queant? Respondeo, si filij nō sint serui Christianorū effecti, requirēdam esse parentum voluntatem, quia nondum sub cura, & patria potestate esse desierunt.

Quintō queritur, An Paganorum infantes apud Christianos expositi, iure possint donari baptismo? Respondeo, iure posse, quia parentes eos ab se ablegarunt, & proinde curam, & patriam potestatem amiserunt. Is tamen, in cuius manus, & potestatem inciderint, eos Christianis institutis debet imbuerē, & cauere, ne grandiores iam facti redeant siue refugiant ad parentes, aut ne parentes eos quavis ratione recuperent.

Sextō queritur, Quid si parentes Pagani parvulos sponte ad Christianos deferant in eum finem, ut baptismatis vnda lustrentur, ne eorū corpūcula foeteant, aut ne à Dæmonijs vexentur? solent enim Turcæ, & Saraceni nobiles, (ut fertur) suos infantes interdum Christianis offerre, ut eis baptisma conferant, quò ab his malis erepti, bona, & integra valetudine potiantur. Sunt qui putent id licere, facere, eò quòd parētes spontē eos ad Baptismum offerant. Deinde, quia magno parvuli beneficio donantur: Si enim ex hac vitā decesserint; in cælestem patriam conuolabunt, citant Syluest. *Baptismus* 4. q. 7. Sed ibi quæstionis huius meminit, & nihil definiuit. Alij verò negant id esse licitū facere eam ob causam, quòd statim parentibus reddi debeant, & proinde grandiores effecti, & à parentibus impijs instituti, leui negotio à Fide desicient. Nec refert, si parentes vltro, & spontē filios offerant; siquidem ab eis statim filios repetitum, & recuperatum iri, non est dubitandum. Neque enim Christiani, quibus Turcarum, & Saracenorum filij baptismi gratia traduntur, illa ratione impedire parentes possunt ab eis repetendis, & recuperandis. Ex quo perspicuum est, eiusmodi infantes iure donari, & ab lui baptismi posse, quocumque comoda occasio sese obtulerit à patrio eos iure, & potestate liberandi.

Septimō queritur, An Infantes Iudæorum, vel aliorum Infidelium, qui sunt Christianorum mācipia, possint ab lui baptismi, inuitis parentibus? Duplex est opinio. Prima affirmat, quæ fuit Scoi in 4. dist. 4. q. 9. Durand. 4. d. 4. q. 6. Gabr. 4. d. 4. q. 2. art. 5. dub. 5. & aliorum: quos ea ratio permouit, quòd dominus potest liberē, aut patrem, aut filiū vendere, cum sit vterque mancipium, ergo etiam patrem potest in longinquam prouinciam mittēdo distrahere, aut filium alicui vendere, siue donare, qui tanquam Dominus iure poterit eum offerre baptismi, cum sit iure optimo patris curæ subtractus. Altera opinio negat, quæ placuit S. Thomæ eiusq; discipulis 3. p. q. 68. a. 10. & 2. 2. q. 10. a. 12. Palud. 4. d. 4. q. 4. a. 3. Sor. 4. d. 5. q. 1. ar. 1. Sic etiam sensit Richar. 4. d. 6. a. 3. q. 3. hanc autem ea vnica ratione comprobant, quòd infantes in ijs, quæ pertinent ad salutem animæ, paterna cura dirigi, & gubernari debent, quamuis parentes sint in seruitutem redacti. Mihi profectò magis placet secunda opinio, ea ratione, quòd Dominus, & patrem à

filio, & filium à patre iure separare non potest, nisi vendiderit, vel donauerit. Deinde, negari nequit quin iure naturali in patris cura filius parvulus sit etiam Domino inuito siue renuente, licet Dominus iure ciuili in vtrumque ius habeat, & potestatem tanquam in seruum, est enim Dominus patris, & filij: ergo salus spiritalis filij à patris, non ad Domini curam spectat. Postremo, quamuis, tum filius, tum pater sint serui, dilucide Dominus filio iam Christiano suadere potest, ne intendat fallacis patris seductoris, & ne impiam patris sectam amplectatur. Quid? quòd Ecclesia nunquam huiusmodi filios inuitis parentibus saluari baptismatis aqua perfundere cōsuevit. At dices, inde solū argumento colligi, in Ecclesia nunquam hunc morem fuisse; non autem, non fuisse ius, & potestatem baptismi parvulis eiusmodi conferendi. Sed cur, si ius Ecclesie concessum est quò id facere possit, mos nunquam est in Ecclesia introductus? Respondent quidam eorum, qui Scoti sententiæ adhærescunt, quia Ecclesia iure suo, cū possit, vti noluit, ne filij nimio parentum amore decepti, tractiue, baptismi in peccato, à Fide resiliant, aut ne parētes suos filios ad impietatem, qua possent, ratione pertraherent: ne item Pagani offenderentur, & ne ad lucrificandos, & auertendos ab impietate, & errore, quocumque tenentur, praecluderetur aditus. Sed certe, hæc omnia probant, eiusmodi infantes inuitis parentibus ad Baptismum afferri iure non posse.

Octauō queritur, An si infantibus Infidelium, coactis parentibus, & inuitis, baptismi conferretur, ratum, & firmum illud esset? Dux sunt opiniones, vna negat, quam sectati sunt olim Durandus, Paludanus, & Capreolus 4. d. 4. & nostro seculi Ambrosius Catharinus in opusculo edito de hac re, ea ratione adducti, quòd Baptismus nulla suscipientis voluntate collatus, inanis, & irritus prorsus esset; infanti nulla est alia voluntas, nisi parentum, ergo si ipsis reluctantibus conferatur, nullus erit, & inanis. Altera opinio affirmat quæ tenetur Caiet. in 3. par. q. 68. art. 10. Sylu. *Baptismus* 4. q. 7. Sor. 4. d. 5. q. 1. ar. 10. Tab. *Baptismus* 7. q. 11. Anton. p. 3. tit. 13. c. 22. & alij & videtur etiam fuisse S. Thomæ; ideo probat ille eiusmodi infantes inuitis parentibus baptismi ab lui, & donari non posse, quia eorum curæ, & potestati subtrahi deberent, ne paternis inducti, & decepti fallacis, à Fide desicerent, & ne sacramento inferretur iniuria. Ponit igitur S. Thomas, ut certum, baptismum collatum esse ratum, & firmum, alioquin si nullus esset, nulla afficeretur iniuria. Atq; hæc opinio cōmuni omnium consensione Theologorum est recepta. At infurges cum Durando; In accedēte ad Baptismum requiritur voluntas, sed infantes propriam non habent, ergo ut valeat Baptismus, necesse est parentum adesse consensum. Non negamus aliquò requiri consensum, nam alioquin frustra conferretur baptismus; sed satis esse, arbitramur, tacitum Ecclesie consensum in ministro, qui cōferat baptismum; quamuis enim Dei voluntas non sit, ut tales in infantes inuitis parentibus baptismi recipiant: absolute tamē, & simpliciter vult, baptismum valere nulla parentum voluntate collatū.

Nondō queritur, Quosnā Parentū nomine intelligi oporteat? Respondeo, intelligi quoque; ea voce



tutores datos infantibus, qui parentibus destituntur: ad eos enim parentum officium, & cura transfuit. Sic Palud. 4. d. 4. q. 4. art. 3. quamquam Sotus 4. d. 5. q. 1. ar. 10. ait, non esse tam atrocem iniuriam, si iniuriis iuribus filij infidelium baptisinate donarentur.

Decimo quæritur, Quid de infanulo iam iam morituro, cui parentes, ut potest infideles & Ethnici, baptismum conferri prohibent, & impediunt, sine ne eius Sacramenti salutis expertis emoritur Sotus, & meo iudicio, bene respondet: Ego, inquit, in eo casu puerulum baptisinate donarem: quoniam cum vi a animæ, & corporis periculis, magno beneficio afficitur, si in Christo renascatur, & parentibus iniuria non fit, cum breui eam sine amissari morte rapiendum.

Vndecimo quæritur, An filij infidelium statim atque sunt rationis compotes possint iure baptismate abluui, si id petierint, etiam si annos pubertatis non exceperint, & licet renuant eorum parentes. Respondeo, posse, quia sunt facti sui iuris in ijs, quæ ad suam salutem spirituales spectant. S. Tho. 2. 2. q. 65. ar. 10. Tab. Baptisimus. 7. q. 10. **QVAERES.** An iure queant baptismate donari, si dubitamus sint necne rationis compotes cum petunt baptismum? Respondeo, in dubio meliorem esse conditionem possidentis, unde iniuris parentibus qui possident, non sunt baptismate abluendi.

Duodecimo quæritur, An liceat Principi Christiano Paganos cum suis ritibus, & superstitionibus in sua ditione atque adeo in sui Imperij locis permittere? Respondeo, licere, vel alia plura, vel maiora, & deteriora mala vitentur; ne communis scilicet Reipublicæ pax perturbetur: ne odia & dissidia generentur; ne Pagani offendantur, eo que difficilius ad Christianam fidem amplectendam, & tardiores euadant: & idcirco Christiani olim Imperatores, & Principes Ethnicos tolerabant.

Decimotertio quæritur, An fas sit Christianis in auxilium accire Paganos ad bellum? Respondeo, ex natura rei id quidem fas esse, olim enim Machabei cum Romanis, & Spartanis societas, & societatem inierunt, & Christiani Imperatores, militum Ethnicorum opera passim utebantur. Præterea, si Christianis bellum sit contra Infideles, quid ni iure alios quoque Infideles, & impios adlescant ad eos debellandos? Si tamen Christiani bella gerant inter se, quamvis liceat, non tamen expedit, nec debet Ethnicorum ad id auxilium inuocari, præsertim eorum hominum, qui Christianum sanguinem auidissime sitiunt, & Christi nomen maximè oderunt, Christianam denique religionem funditus perdere, & delere summa vi, atque ope nituntur, quales sunt Turcæ, & Saraceni.

Decimoquarto quæritur, An omnia opera Infidelium, sint peccata? Quæstionem mouerunt Theologi ob Augustini sententiam sæpè docentis, Infidelium actiones esse peccata, nullas in eis esse veras virtutes: neminem sine fide Christi posse rectè vivere: ad nihil aliud liberum hominis arbitrium valere sine gratia Christi, nisi ad peccandum, id ipsum tradidit Prosper scribens contra Cassianum, idem quoque Fulgentius. In eadem sententia videntur fuisse Origenes, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Gregorius, & Bernardus, quorum omnium testimonia citauit lib. 3. c. 29.

q. 3. & q. 4. Inter Scholasticos communi omnium consensu receptum est, quod habet S. Thom. 2. 2. q. 19. ar. 4. & probat ibi: Cai. & Sotus lib. 1. de natura, & gratia, cap. 19. 20. 21. & Theologi, in 1. dist. 41. non omnia Infidelium opera esse peccata, quia multa præstare possunt, & præstant, quæ in genere moris, & virtutis bona vndecumque sint. Vnus duntaxat est Gregorius Ariminensis in 2. dist. 28. q. 1. & 2. qui ne ab Augustini sententia dissentire videretur, pugnacissimè asseuerat, Infideles etiam dum parentes venerantur, ac de se benemeritis gratias agunt, habentque: cum indigentibus opitulantur, pacta seruant, promissa exsoluunt, deposita reddunt, in his, & alijs similibus operibus peccare: nõ quòd hæc opera sint ex re obiecta, vel sine, vel aliqua adiecta circumsantia peccata, sed eo, quòd circumsantia debita careant; Fieri enim causa, & amore Dei deberent, & proinde cum in Deum minime referantur, sunt mala: possunt tamè esse bona, si (inquit ille) peculiari Dei auxilio in ipsum Deum referantur. Ex quo in Saracenis, Iudeis, & Hæreticis fateur esse multa beneficia, quia non sunt gratuito, & speciali Dei auxilio destituti, quo propter Deum ipsum, ea bona præstet; in Paganis verò illa esse pauciora. Quare Gregorius nõ eo spectat, vt doceat omnes Infidelium actiones esse malas; sed nisi gratuito, & peculiari Dei munere in Deum dirigantur, & referantur, esse peccata.

Hæc controuersia sanè difficilis aliqua ex parte, & obscura est, propter Patrum, præsertim verò Augustini, Prosperi, Bedæ, & Fulgentij, contra Pelagianos disputantium testimonia, & quadam ex parte tractata à me est lib. 3. c. 29. q. 3. & q. 4. Primo illud tanquam certum, & indubitatum statui debet, quod est à concilio Tridentino decretum *si quis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit Gehenne meritum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, anathema sit.* Hæc definita sunt aduersus Lutheranos, & Calvinistas, qui Augustini, Prosperi, & Fulgentij testimonijs quibusdam perperam intellectis persuadere conantur, omnia peccatoris opera odium Dei mereri, & proinde supplicium æternum; ea tamen Deum pro sua bonitate, nec culpæ imputare, nec pœnæ. Nã eo ipso, inquit, quòd primus homo Dei mandatū violauit, posteros genuit peccato corrupto: peccatoris autè opera sunt Deo iniuria, quia persona peccatoris est ei inuenta, & odiosa; & tanquam inimica, & ingrata Deo, meretur, vt quicquid agit, ad pœnam, & supplicium destinetur. Sed certè absurdum est dicere, impium hominè aliena restituentem, promissa soluentem, depositum reddentem, fidem seruantem, parentes venerantem peccare, & Dei iram mereri.

Deindè, id bene intelligere oportet, quòd Patres tradidèrunt. Et quidem Augustinus contra Iulianum, & alijs in locis sæpè docet, id, quòd initio quæstionis proposuimus, & Prosper Augustinum ubique secutus contra Cassianum scribit: *Nihil operis ex mortuis, nihil iustitiae procedit ex impijs.* Et deinde: *Nullus est bonæ voluntatis motus, nisi quem creauerit diffuse per Spiritum sanctum charitatis affectus, sine*



fide enim impossibile est placere Deo; & Omne quod non est  
 ex fide, peccatum est. Hæc ille. Fulgentius quoque probat,  
 ut dixi li. 3. c. 29. q. 3. & 4. Gentes non nisi ex fide  
 iustificatas, quia omne quod non est ex fide, peccatum est,  
 & quia sine fide impossibile est placere Deo. Consilium  
 item Arauficanum 2. can. 17. Fortitudinem, inquit,  
 Gentium, mundana cupiditas fortitudinem Christianorum,  
 Dei charitas facit, quod decretum desumptum est ex  
 Aug. lib. De Patientia c. 17. Hiero. ad Gal. 3. explicans  
 illa verba: Quia iustus ex fide uiuit: castus, inquit,  
 ex fide uiuit, sapiens ex fide uiuit, & à ceteris virtutum  
 generibus vicinam sententiam proferamus aduersum eos, qui  
 in Christum non credentes fortes, & sapientes, temperantes  
 se putari esse, vel iustos: ut sciam nullum absque Christo  
 uiuere, sine quo omnis virtus in uitio est. Et Greg. 2. Mora.  
 c. 33. In electorum, inquit, corde prior bonorum sequentium  
 sapientia nascitur: atque hæc per donum Spiritus, quasi  
 primogenita proles proferitur. Quæ profecto sapientia, nostra fides  
 est. Propheta testante qui ait: Nisi credideritis, non intellige-  
 tis. In domo primogeniti fratris conuincuntur filij, dum vir-  
 tutes relique epulantur in fide: quæ si non prima in corde no-  
 stro gignitur, reliqua quæque esse bona non possunt, etiam si bo-  
 na esse videantur. Scriptum quippe est: sine fide impossibile est  
 placere Deo, Bernar. Ser. 24. in cant. prope finem, sic  
 habet: sed nec opera quamuis recta, rectum cor efficere suffi-  
 cient sine fide. Quis enim rectum dicat hominem, non placen-  
 tem Deo? sine fide autem impossibile est placere Deo. Clemens  
 ite Alexandrinus lib. 3. Pedagogi, c. 6. Bona, inquit,  
 possideri solum possunt à bonis, boni autem Christiani sunt.  
 Homo autem insipiens, vel intemperans, nec boni sensum ha-  
 bet, neque possessionis: à solis ergo Christianis bona possunt ha-  
 beri. Hæc Patres. Sed profecto ex his testimonijs  
 non elicitur, eos sensisse, vniuersas Infidelium ac-  
 tiones esse peccata. Nam Aug. lib. de Spiritu, & li-  
 ttera c. 28. aperte testatur: Nihil profert impio aliqua bo-  
 na opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet Pagani bo-  
 minus inuenitur. Et Epist. 5. & alibi nonnullas agnoscit,  
 & fatetur Romanorum virtutes fuisse laude, &  
 præmio temporalis dignas, licet non sempiterno.  
 Deinde Prosper dilucide tradit, Gentiles benefa-  
 ctis præmia, male factis supplicia constituisse. In  
 quibus, inquit, laude sunt digni. Solum igitur Patres  
 docere, contra Pelagianos videntur, vitam omnem  
 Infidelium, & actiones vniuersas, quamuis aliqui  
 honestas, & laudabiles, esse in peccato, vel cum pec-  
 cato: quia Infidelis quoadiu per Baptismum in Chri-  
 sto non renascitur, est, ut minimum peccato ori-  
 ginis infectus: nam Pelagiani, hoc peccatum è me-  
 dio tollebant, & proinde opera honesta, quæ per  
 se præstare liberum arbitrium aiebant, vitam æ-  
 ternam, ut præmium habitura censebant. Et idcirco  
 Patres peccatum originis ex Sacris litteris cõ-  
 sitentes, docebant Infidelium vitam, & opera esse  
 in peccato, & cum peccato: non quod omnia pec-  
 cata essent, sed quod omnia, ut minimum ob pec-  
 catum originis felicitate excluderentur æterna.  
 Deinde, tradebant similiter contra Pelagium,  
 nihil boni, quod vitam æternam meretur, ex se pos-  
 se liberum arbitrium sine gratia Dei: quia Pelagius  
 per omnia benefacta, asserbat, hominem vitam  
 æternam promereri, quia nullum peccatum ori-  
 ginis impediabat. Contra Patres contendebant  
 nullum esse in homine huiusmodi bonum, siue ma-  
 gnum, siue paruum sine gratia Dei: quia sine fide  
 impossibile est placere Deo. Insuper Pelagius dicebat  
 posse hominem cogitare, velle, & facere bo-

num per naturam suam, sine quolibet alio auxilio  
 Dei. Contra Patres contententes definiunt præ-  
 ter naturam gratis acceptam à Deo, indigere homi-  
 nem communi Dei auxilio ad cogitandum, vol-  
 lendum, & faciendum bonum, quod auxilium si-  
 cet commune, & generale, gratiam Dei, vocantur,  
 quia gratis datur, hoc est, sine meritis hominum,  
 sine quo auxilio homo facit peccatum, non ut ac-  
 tio est, sed ut peccatum est. Solum his vnum ob-  
 stare videtur, quod ait Aug. lib. de Spiritu, & li-  
 ttera c. 3. liberum arbitrium nihil valere, nisi ad peccatum,  
 si lateat veritatis via. Et Synodus Arauficana  
 can. 22. Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum,  
 quæ sunt Augustini verba, Tractatum quinto in Ioannem.  
 Ex quibus verbis Lutherani, & Caluini con-  
 cludere nituntur omnia impiorum hominum ope-  
 ra esse peccata, nisi ex gratia Dei proficiantur.  
 At enim Augustinus his locis solum docere vult vo-  
 luntatem hominis propria virtute absque genera-  
 li, & communi auxilio Dei gratis moueri, & ad-  
 iuuanti, cogitare, velle, & facere bonum non posse  
 ferre, ut Deus per seipsum bonam cogitationem  
 suggerat, vel per alias causas subministrat, cum  
 tamen peccatum, ut peccatum est, non sit à Deo, sed  
 ab homine, vel diabolo, licet sit à Deo quatenus  
 motio, vel actio quædam est.

Porro ex sacris litteris perperam colligitur,  
 omnia impiorum opera esse peccata. Nam illud  
 Pauli ad Romanos: Omne, quod non est ex fide, peccatum  
 est, licet Augustinus, Prosper, & Fulgentius, ut di-  
 xi, lib. 2. ca. 8. q. 3. de virtute fidei interpretentur, O-  
 rigenes tamen, Chrysostomus, Ambrosius, Theo-  
 doretus, Theophylactus, & Occumenius, ut loco  
 citato monui, sic explicant, & interpretantur, om-  
 ne quod bona fide, & recta conscientia non sit, esse  
 peccatum, quasi diceret vellet Apostolus: Quicquid  
 agis credens id non licere tibi facere, cum agis,  
 peccatum est: atque hic est sensus eo loco Pauli  
 germanus, & proprius. Nec item officit verbum  
 Christi dicentis: Non potest arbor mala bonos fructus fa-  
 cere, & quod paulo ante dixerat: Nihil quod colligitur de  
 spinis vras, aut de tribulis fieri potest: Si oculus tuus fuerit  
 nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit: hæc enim,  
 & similia referuntur ad prauum voluntatis affe-  
 ctum, quæ cum finem sibi malum proponit, & ad  
 illum animum intendit, non nisi malam electionem  
 parit. Nam si praua sit finis optati voluntas,  
 si prauum sit animi propositum, pariter electio  
 eius, quod est ad finem. Et contrario Christus Do-  
 minus dixit: Si diligis eos, qui vos diligunt, quano mercedem  
 habebitis? nonne, & Publicani hoc faciunt? & Paulus  
 ad Romanos scribens: Gentes, inquit, quæ legem  
 non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: Et paulo  
 ante, Gentes reprehendit, eo quod cum Deum  
 cognouissent (per ea scilicet, quæ facta sunt, ut  
 ibidem declarat Apostolus) non sicut Deum glo-  
 rificauerunt, aut gratias egerunt: ergo non quic-  
 quid Gentes agunt, peccatum est. Postremo, iure  
 sanè optimo Scholasticorum communi cõsensu  
 Gregorius Ariminensis hæc in parte reijcitur, quippe  
 qui conatur ostendere ex Augustini, & aliorum  
 quos reulimus Patrum sententijs, impiorum ope-  
 ra quauis bona ex re obiecta, sine, & materia esse  
 peccata, nisi propter Deum fiant: quælibet item  
 virtutis officia, & opera esse mala, si careant ea  
 circumstantia quæ fieri debent; nimirum si in

Deum



Deum relata non sint. Certè hoc Ariminenſis diſtum nulla ratione defendi poteſt: quoniã quicquid honeſtè fit, hoc eſt, virtutis cauſa, ſtudio, & amore, eo ipſo in Deum tacite, & implicite referatur: niſi dicere Gregorius velit, primum homineſe eſſe cum iuſtitia, & gratia creatum à Deo, vt mandatum acceperit de referendis in Deum tanquam in propoſitum ſibi ſinem ſingulis vitæ actiõibus, & operibus, & quia diuina lege neglecta peccauit, fuiſſe auxilijs, & beneficijs acceptis priuatum, ita, vt auxilium Dei ad honeſtè operandũ, fuerit donum ad benè agendum, propter Deum datum quidem homini, non vt debitum naturæ, ſed tanquam debitum primæ hominis inſtitutioni, quã fuit cum iuſtitia, & gratia diuinitus procreatus, ea poſtea per peccatũ amiſſa factum fuiſſe, vt euſmodi auxilium nõ ampliùs naturæ hominis deberetur, ita vt cuiquam que datur, gratis, & liberaliter detur: quibus verò denegatur iuſtè denegetur: & hanc quidam exiſtımant Gregorij Ariminenſis fuiſſe ſententiam, ſed quidquid ille ſenſerit, merito id, quod docuit. 2. diſt. 28. q. 1. & 2. communi, vt dixi, Theologorum conſenſu reſellitur.

### Caput XXVI.

#### De ceteris peccatis, quæ contra Fidem admittuntur.

ILLUD primò in quaſtionem venit, an cuique liceat, de rebus Fidei Catholice diſputare: Reſpondeo, cap. quicquamque, ſ. Inhibemus, de Heret. in Sexto, Laici eſſe interdicitum, diſputare de fide Catholica publice, vel priuatim. Sic enim decernitur: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laice perſone liceat publice, vel priuatim de fide Catholica diſputare. Qui verò contra ſecreſit, excommunicationis laqueo innodetur. Et cap. Com ex inuanti, de Heret. laici, prædicatorum officio, & munere fungi prohibentur: quoniã eſt proprium ſacerdotum munus. Idem quoque ſtatuitur in cap. ſicut in vno, de Heret. QVAERES, quis nomine laici ſignificetur in iure, fieri enim poteſt, vt laicus ſit iuris Pontificij peritiſſimus, iam nõ etiam vtriuſque iuris doctor, & contrã, vt clericus, ſit rudis, & imperitus. Gloſſa in eo c. Reſpondet, ſorte nomine laici ſignificari illitteratum: ſic enim interdum literarũ rudes, & ignari laici, vocantur; & literati dicuntur clerici diſtinct. 88. cap. tantũ. Sed verius alij tradiderunt, laicum appellari eum, qui nullo eſt Eccleſiaſtico ordine initiatus, nec etiam prima clericorum tonsura inſignitus: leges enim humanæ de ijs feruntur, quæ frequenter eueniunt, non raro: Et quia frequenter accidit, vt laici indocti ſint, & imperiti, ideo diſputare de Fide Catholica non debent. At aliquando, in quibus, laicus vtrumque ius rectè nouit. *Fateor*, ſed nihilominus eſt ei iure interdicitum de Fide Catholica diſputare: quia lex licet, de eo, quod ſæpè contingit, condita ſit, attamen in vniuerſum ad omnes protenditur, eoſque tenet, ac ligat. Nam laicus iuris pontificij cõſultus tamen iure naturali alioqui poſſet de Catholica Fide diſſerere, iure tamen Canonico prohibetur, ne rudes, & ignari diſputandi de Fide Catholica aniam arripiant. At dices; Etiam Clerici, non nunquam ſunt imperiti, rudes, & ignari. Nõ inſerior;*

verũ cum iure canonico cõſtitum fuerit, vt clerici literarum noticiam, & ſcientiam haberent, non eſt eis interdicitum de Fide Catholica diſputare. Quod ſi cupiam eorum cognitio, & ſcientia deſit, licet iure quidem canonico diſceptare de Fide minimè prohibeatur, iure tamen naturali, & diuino prohibetur, ne is, qui Fidei decreta, & iura neſcit, diſputet, & neſcius multa diſputando peccet. DEINDE QVAERES, quid nomine Fidei Catholice, in hoc capite veniat? Reſpondeo, quicquid eſt in Eccleſia propoſitum tanquam fide credendum: quales ſunt qui vocantur Articuli Fidei, & cætera, quæ ſacræ, & diuinae litteræ tradiderunt; Aut quæ generalis Eccleſiæ conſenſus definiuit, & quæ ex his neceſſaria, & euidenti cõſequentione deducitur. POSTREMO QVAERES, an laicus, qui ſcienter hanc legem violauit in excommunicationem incurrat? Reſpondeo, minimè, quoniã in ea lege dicitur: *excommunicationis laqueo innodetur.* Pœna autem verbis futuri temporis expreſſa, non ipſo facto contrahitur; ſed eſt per ſententiã Iudicis imponenda; cum tamen verba, quæ præteriti temporis pœnam expriment, ſignificent eam pœnam eſſe ipſo iure latam.

Secundò quaeritur, An liceat clericis de Fide Catholica diſputare publice? Reſpondeo, c. De ſumma Trinitate, & Fide Catholica. L. Nemo, lancitum eſſe: Nullus clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis de Fide Chriſtiana publice turbis cõdunatus, & audientibus, tractet in poſterum: nam iniuriam facit Eccleſiæ, ſi quis ſemel indicata ac rectè diſpoſita reuoluerit, et publice diſputare conſenderit. Hæc ibi: led cum lex ſit imperatoria, & ciuiliſ, clericos tenere, & obligare nequit, niſi iure canonico conſirmetur. Non licet igitur clerico de Fide Catholica publice diſputare; primò, in dubium reuocando, quæ fide creduntur. Deinde, coram iudicibus, & imperita plebe, quam ad perſiciam aliquis alius conatur impellere. At verò fas eſt, de rebus Fidei publice diſputare coram populo qui ad præuocantem hereticam eſt ſolicitatus, ne Catholicorum ſilentium audaciores reddat Hereticos, & populum aſtantem in Fide, ac Religione ancipitem, & dubium. Licet item, publice diſputare de Fide coram peritis, & doctis gratia exercitationis, & vberius, ac plenius cognoſcendæ veritatis.

Tertiò quaeritur, An Scripture ſacræ ſint in proprias ac maternas cuiuſque nationis, & gentis linguas conuertendæ, vt poſſint à ſingulis commodius legi, & intelligi. Reſpondeo, Lutheranos, & Calumniſtas in ea eſſe hæreſi, vt aſſerant Scripturas ſacras transferri debere in proprias, & vulgares omnium gentium linguas. Contra quos in indice librorum prohibitorum edito, à Concilio Tridentino quarta Regula conſtituta ſic habet: *Cum experimẽto maniſeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua poſſunt ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum tenuitatem decernenti, quam vtilitatis oriri: hæc in parte iudicio Episcoporum, aut Inquiſitorum ſtetit, vt cum conſilio Parochi, vel conſeſſarij, Bibliorum à Catholicis auctoribus verſorum lectionem in vulgari lingua eis cõcedere poſſint, quos intellexerim ex huiſmodi lectione non dampnum, ſed p̄dei atque pietatis argumẽtum capere poſſe: quam ſacriſcariam in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali ſacriſcariæ, ea legere ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Biblijs Ordinis*



uario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopola vero qui prædictam facultatem non habent, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quouis modo concesserint, librorum pretium in usus pios, ab Episcopo conuertendum amittant, alijsq; panis, pro delicti qualitate, eiusdem Episcopi arbitrio subiacent. Regulares vero non nisi facultate à Prelatis suis habita, ea legere, aut emere possunt. Hæc ibi. Et in Indice recens edito iussu S. D. N. Clementis VIII. addita est obseruatio circa prædictam 4. Regulam, quæ sic habet. *Animaduertendum est, circa superscriptam quartam regulam Indicis sel. rec. Pij Papæ IIII. nullam per hanc impressionem, & editionem de nouo tribui facultatem Episcopis; vel Inquisitoribus, aut Regularium superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & vsu Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias. Sic ibi.*

Quæres, An Bibliorum partes, nimirum libri, aut librorum capita in vulgares linguas translata permittantur? Respondeo, primo aspectu, in prædicta quarta Regula solum prohiberi, ne sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur legi, emi, retineri, aut vendi. In Hispania tamen in Indice librorum prohibitorum ibi edito, auctoritate Generalis, in illis prouincijs, Inquisitoris Regula 6. sic habet: *Prohibentur Biblia vulgari lingua, cum omnibus suis partibus, ac si dicat, Biblia, & eorum partes, & in Indice recenti edito iussu S. D. N. Clem. VIII. in obseruatione circa quartam prædictam regulam Indicis editi iussu Pij IIII. sic habetur: sublata eis fuerit (videlicet Episcopis, Inquisitoribus, & Regularium Superioribus) facultas concedendi licentiam legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacra Scripturæ, iam noui, quam veteris testamenti partes, quauis vulgari lingua editas. DEINDE QVAERES, An permittantur intergræ sententiæ, clausulæ, & capita Bibliorum inserta in libros Catholicorum, qui ea explicant, aut citant? Respondeo, in Indice Hispaniensis id permitti: nam ita expressè habet Regula sexta prædicti Indicis Hispaniensis. **ITEM, QVAERES,** an permittantur in vulgarem linguam translata Euangelia, & epistola, quæ per totum anni cursum inter Missarum solemnias publicè leguntur, & decantantur? In 6. Regula Indicis Hispaniensis permittuntur, ea conditione, vt separatim, & seorsim minimè typis mandentur; sed vna cum concionibus, & explanationibus Catholicorum editis, ad fidelium pietatem Christianam excitandam, promouendam, & augendam. **QVAERES** in super, an permittantur conscripti vulgari lingua precatationum horariorum libelli, in quibus continentur Psalmi, & Cantica ex Biblijs excerpta? In Indice Hispaniensi in Regula 6. & 7. omnes huiusmodi lingua vernacula conscripti libelli prohibentur. Et in Indice nouissimè edito iussu S. D. N. Clementis VIII. in obseruatione circa quartam regulam, prohibetur sacra Scripturæ partes, eam noui, quam veteris testamenti, quauis vulgari lingua editæ: ac in super summaria, & compendia eorundem Bibliorum, seu librorum sacra Scripturæ, quocumq; vulgari idiomate conscripta: quod quidem iniuriatè præcipitur seruandū.*

Obijcies, sacras litteras olim vernaculis fuisse linguas conscriptas: nam Moses, & alij veteris Te-

stamenti scriptores sacri, Hebraica lingua, quæ tunc repositis utebantur Iudæi, scripsere. Mattheus quoq; profecturus ad Gætes luce veritatis imbutus, Euangelium scripsit Hebraicè, in gratiam Iudæorum, & eorum, qui ex circumfusione erant, teste Hieronymo in Prologo in Mattheum, ex Eusebio, siue, vt alij prodiderunt, scripsit Syriaca seu Chaldaica lingua, quæ tunc Iudæorum vulgo erat vsitata. Epistola quoq; Pauli ad Hebræos fertur Hebraicè primum edita, quia est ad Hebræos missa. Cæteri verò noui Testamenti libri Græcè sunt conscripti, quia Orientalium Gentium, quæ in Romanorum Imperio, & ditione vsuebant, erat propria lingua: & in Ecclesia Latina sacri, & diuini libri Latine sunt redditi, propterea, quod omnes tunc temporis Latine loquebantur & intelligebant. Respondeo, tunc hæc tribus linguas scriptores sacros vsos fuisse, quia Scripturæ sanctæ id temporis apud Gentem promulgari cœperunt, & prouide in his linguas editæ, ac tradite fuerunt, quæ tunc in vsu erant apud Gentium nationes. Deinde obijcies, Paulum prima ad Corinthios cap. 14. reprehendentem eos, qui linguas in Ecclesia loquebantur: vbi inter alia dicit: *iamen, quæ sine anima sua vocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sermonum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Euenim si incertam vocem det tuba, quæ parabit se ad bellum? Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederint, quomodo scietur id, quod dicitur: eritis enim in ætra loquentes. Et post hæc: Si ergo, inquit, nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi, barbarus. Et ad Rom. 10. Fides, ait, ex auditu; auditus autem per verbum Christi, at si ij, quibus annuntiatur Dei verbum, non intelligant, perinde est, ac si non audiant? Respondeo, Paulus in his locis sermonem habere de ijs, qui dono linguarum præditi erant, quo multi Corinthiorum tunc temporis diuinitus donabantur, & quo eos vt Apostolus voluit ad aliorum profectum, videlicet ne publicè loqueretur linguas in Ecclesia, nisi esset, qui interpretaretur, vt omnes intelligendo, ad pietatem inflammarentur ardentius. Ad hæc obijcies, Chryostomum ter quater ue asseret, nimirum in hom. de Lazaro, & in hom. 10. in Ioanem, & hom. 3. in epist. 2. ad Thessalonicenses, assiduam Scripturarum lectionem esse singulis necessariam, & prouide omnes in earum studium incumbere debere: neminem sese excusare posse, ob multitudinem occupationum, & negociorum, aut ob librorum penuriam, aut sermonis obscuritatem, & difficultatem: scripturarum lectionem demum non solum Monachorum, seu clericorum, sed etiam omnium laicorum esse oportere. Hieronymus item ad Paulum, & Eustochium scribens, hortatur eas, cum foeminae essent, ad assiduam sacrarum litterarum lectionem, & studium. Item, fertur Chryostomum nouum testamentum, & Dauidicos Psalmos in linguam Armenicam conuertisse, & Wlphilas Gochorū Episcopus dicitur sacros Bibliorum libros in Gochorū sermonem transfuisse. Chryostomi verba Hæretici more suo accipiunt, & detorqueunt ad suæ causæ patrocinium. Nos tamè libenter fatemur, tunc temporis laicos in scripturarum lectione fuisse veratos, quia sacra eloquia erant Græco, vel latino Sermone conscripta, quem sermonem vulgus quoque callebat, nunc verò plebs ferè rudi-*

dis est,



dis est, & imperita latini sermonis: at laici, qui græcè, vel latinè nouerunt, Scripturas iure optimo leſtant.

Quartò quæritur, An expediat, & deceat sacra volumina in maternis, & vernaculas linguas cõuerſi? Reſpondeo, Minimè, quia detrimentum inde pateretur fidelium concordia. Deindè, varia hærefum, & errorum cauſæ nacerentur. Prægræua, magna inſcitia, & ignorantia cauſa in Republica Chriſtiana ſequeretur. Ex varietate item, incertitudine, & multitudine verſionum contentiones innumeræ, diffidia, ac infinita propemodum alia incommoda, & mala prouerent. Ex quo Innocentius III. ad Abbatem Ciſterciënſem, & eius collegas ſcribens, eos acriter obiurgat, & increpat, qui canonicos Sanctarum Scripturarum libros Gallicè trãſlatos, paſſim laicis, & foeminis permittebant Cum olim, ait, venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus, per ſuas nobis literas inuilaſſet, quod tam in diaceſi, quàm in vrbe Metenſi Laicorum, & mulierum nõ modica multitudò Gallicè eundem translationis diuinarum librorum intendens, ſecretis conuentibus eorum inter ſe erigere præſumerent, aliorum aſpernantes conſortium, & in faciem redarguentibus Presbyteris reſiſſent, quorum ſimplicitatem aſſiduum in ſua translationis periculis conſiderantes; non prout ad vindictam res nos accendit incognita, ſed vniuerſis tam in vrbe, quàm in diaceſi Metenſi conſtituit, ſub eo tenore literas curauimus Apoſtolicas deſignare, qui vobis ex earum tranſcriptis inſpectione poterit patere. Et paulò poſt præcipiẽs, vt inquiratur in eos, ſubingit: Nuper autem idem Epiſcopus per ſuas nobis literas inuilaſſet, quod quidam eorum, quos notabiles prioribus literis denotarat, mandatis reculant Apoſtolicis obedire, quibusdam eorum clanculo, quibusdam vero iam publicè, obediendam eſſe dicentibus ſolis Deo: ab occultis etiam conuentibus non ceſſantes; officium prædicationis occultè, licet à nullo mittantur, prohibita etiam ſibi non metuant uſurpare, & peruenientes ſibi diſſimiles; & translationi eidem uſque adeo inſiſtentes, vt ſe nec Epiſcopo, nec Metropolitanò ſuo, nec nobis ipſis afferant pariueros, ſi eam de creuerimus abolendam. Licet autè tales in eo reprehendendi merito videantur, quòd occultis conuentibus celebrant, officium prædicationis uſurpent, ſimplicitatem deſpectum ſacerdotum, eorum conſortium, qui diſtam translationem non recipiunt, aſpernantur: Ne quid tamen ſubito facere videamur, diſcretionem veſtram, de qua plane conſidamus, per Apoſtolicam ſcriptam mandamus, ut que præcipimus, quatenus ad ciuitatem Metenſem pariter accedentes, cum eodem Epiſcopo conuocetis coram vobis ſalutariſſimos, & adhaerentes translationi prædiſtæ: & ſi fieri poterit, que in eis reprehendiſſima fuerint, auctoritate Apoſtolica ſubiato a pellationis obſtaculo corrigatis. Quòd ſi correptionem recipere forte noluerint, inquiratis in eos. Hæc Innocentius.

Ex his manifeſtò perſpicitur, quot, & quanta mala Gallica illa ſacrorum Bibliorum tranſlatio, in Eccleſiam illam Gallicanã inuexerit: quæ in primis erant ſacerdotum ſimplicitas, & ceſſatorum omnium deſpectio, inobediencia, audacia, temeritas, cõuentus occultis, ſeditioes, ſchismata. Quis item non videat, quantum malorum accideret, ſi paſſim agricolæ, & opifices ſacra volumina verſarent, & leſtarent in materna lingua, cum in eis multa habeantur, quæ prima fronte, & aſpectu ſibi inuicem aduerſari videantur? Horum pauca quedam de multis exempla commemorabo. Ecce, ad Romanos 14. dicit Apoſto-

lus: Regnum Dei non eſt eſcia, & potus; cû tamen Chriſtus dicat Luc. 22. Ego diſpono vobis, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.

Item, Genef. 1. & 9. dicitur, Creſcite, & multiplicamini; contra, Luc. 23. Beata ſteriles, que non genuerunt, &c. Et Matth. 19. Sinit Eſauichi, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum calorum. Genef. etiam 22. ait Moſes; Temuit Deus Abraham; cui Iacobus in ſpeciem contradicens, Deus, inquit, neminem tenet. Rurſus Matth. 15. ait Chriſtus Dominus: Quod intrat in os, non coinquinat hominem: Contra Paulus dicens, Ebruiſi regnum Dei non poſſidebunt. Exod. 24. Viderunt que Deum, & comederunt: contrarium primo aſpectu, ait Moſi Deus, Non poteris videre faciem meam: non enim videbis me homo & vinct. Matth. 6. Attendite, ait Dominus, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; oppoſitum in ſpeciem indicat Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videam opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in celis eſt. Pſalmo primo ait Dauid: Non reſurgunt impij in iudicio: contra Paulus, dicens: omnes quidem reſurgemus, vt alios ſcripturæ locos præterea, quos recensere, nimis longum eſſet. Non diſſimulabo, multa etiam in ſacris literis contineri, quæ rudem, & imperitum hominem grauiter offendere, & quæ in ſpeciem vilia, & abiecta, aut etiam ridicula, & abſurda cenſeri poſſent: vt quæ in Cantico Canticoũ de mutuo, & reciproco inter ſponſum, & ſponſam amore referuntur, plurimæ quoque parabolæ, & ſimilitudines, tum noui, tum veteris Teſtamẽti; ex quibus incautus, & imprudens lector potius vanitatem, quàm veritatem, aut pietatem hauriret, vt merito dixerit Apoſtolus: litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Poſtremò, facta quedam ſacræ literæ commemorant, quæ rudi populo propoſita imitanda viderentur, vt Genef. 38. fornicatio Thamar; Iudith. 10. & 11. mendacium in ſpeciem apparens: ficta quoque, & ſimulata Dauidis infantia, quando Saulem fugiens manſit apud regem Geth, 1. Reg. 21. & 27. illud quoque Oſeæ, cum iubetur ad mulierem meretricem accedere, & ex ea filios ſuſcipere, Oſeæ. 1.

Quintò quæritur, An prohibeantur diſputationes, & controuerſiæ de rebus Fidei, & Chriſtianiæ Religionis inter Catholicos, & Hæreticos vernacula lingua ſcriptæ? Reſpondeo, in Hispanienſi Indice librorum prohibitorum in Regula 8. prohiberi diſputationes, & altercationes inter Catholicos, & hæreticos; imò etiam conſutationes Alchorani Mahometani in lingua materna editas, abſque facultate expreſſa, & ſcripto impetrata, & accepta ab Inquiſitoribus. Nam ex huiusmodi diſputationibus, controuerſijs, & conſutationibus vulgari lingua compoſitis plebs ignara, rudis, & incauta plurimas ſolet falſitates haurire, & mordicus tenere.

Sextò quæritur, An ſanctum Miſſæ ſacrificium, diuina officia, ac publicæ Eccleſiæ preces, & Sacramentorum miniſtratio fieri, recitari, doceri ac tradi debeant proprijs, & maternis cuiuſque gentis, & nationis linguis? Lutherani & Caluiſti, contendunt hæc omnia vulgari lingua tradi oportere, vt ſinguli intelligant quid orent, quid petant, quid audiant, quid recipiant. Id probare ſe putant ex eo, quòd Iacobus Apoſtolus



Chaldaicè, aut Syriacè apud Iudæos liturgiam composuit, qua nunc fortassis vtuntur Aethiopes, Armeni, & Maronitæ: Basilii, & Chryso- stomi Græcè pro Græcis. S. Petrus perhibetur Latine edidisse pro Latinis, aut saltem eius discipuli. Hieronymus perhibetur Dalmatica lingua Liturgiam composuisse Dalmatarum: Alexandrini, & Aegyptij suam quoque Liturgiam Arabicè conscriptam esse voluerunt, sicut Sclauonicè Morauum. Idem præterea confirmant ex eo loco Pauli. i. ad Cor. 14. *Si ore lingua spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. quid ergo est oratio spiritus, oratio mente, psallam spiritu, psallam mente. Ceterum, si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicat, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non edificatur.* Et ex illo etiam Esaiæ 29. quod Christus Dominus confirmauit: *Populus hic inquit, labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Verumenimquod quicquid Lutherani, & Calvinistæ, sibi velint, & obstrepant, error est intolerabilis asserere, publicas Ecclesiæ ad Deum preces vulgari idiomate recitari, cæteri, & fundi debere, & neminem fidelium, earum fructus posse esse participem, nisi intelligat idioma, quo recitantur. Mos enim generalis Ecclesiæ habet, vt non nisi certis quibusdam linguis, Hebraica nimirum, Syriaca, Græca, & Latina celebrètur: qui mos plurimis ab hinc annis in Ecclesiâ inductus, etiâ nunc retinetur, & seruat. Vnde Gregorius VII. ante annos quingentos, Duci Bohemiæ petenti totius iux gentis nomine id ipsum, quod Lutherani, & Calvinistæ hodie extorquere contendunt, respondit libr. 7. sui Registri in Epistola ad eum missa, in hunc modum: *Quia verò, inquit, nobilitas tua postulauit, vt secundum Sclauonicam linguam apud vos diuinum officium celebrari annueremus; scias nos huic petitioni inæ nequaquam posse facere. Ex hoc nempe sepe voluèribus liquet, non immerito Sacram scripturam omnipotentis Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad litigium cunctis pateret, forte vilesceret, & pateret despectus, aut præuè intellecta à mediocribus, in errore induceret. Hæc ille Romanus Pontifex. Accedit concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de sacrificio Missæ verba faciens: *Et si Missa, inquit, magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Parribus, vt vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retemo vbique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à S. R. Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matre, & magistra probato ritu, ne Christi oues esuriant, ne parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera sanctissimi huius sacrificij mysteriū aliquod declarant, diebus præferim dominicis, & festis. Similia his præcipit idem cõcilium de ijs, quæ pertinent ad conciones Evangelij, & Epistoliarum, Catechismi, & reliquorum, quæ sunt necessaria ad salutem, explicationem, sess. 5. c. 2. de Reformatione: Et idem fermè constituit de sacramentorum vi, & vtu c. 4. & 7. sess. 22. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canitur, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari celebrari debere Missam, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit.* QVAERES,**

an expediat prædicta publica Officia vulgari lingua celebrari? *Respondeo*, nequaquam: quia multa hinc incòmoda nasceretur, vt paulò ante vidimus. DEINDE QVAERES, an Hæreticis perentibus, vt prædicta officia maternis linguis perfoluantur, permitti, & concedi debeat ob cõmunem pacem tuendam, & conferuendam? *Respondeo*, concilia, Patres, & Ecclesiam non consueuisse similibus Hæreticorū postulatis annuere, sic enim olim Ephesinū concilium noluit Nestorio cõcedere Deiparā Virginem dici, & vocari, & quædam licet id verū esset, sed voluit appellari, *Saraxar*, id est, Dei Matrem: Et ynnodius Nicæna prima, noluit admittere, quòd Arriani libenter dabant, vt in Symbolo Filium Dei profiteremur, & quòdam id est, similis substantiæ, sed voluit appellari *homo*, id est, eiusdem naturæ, & substantiæ: ne, vt quædam Patres voluerunt Asiani Episcopi concedere, vt Pascha celebraretur 14. Luna Martij, in quemcunq; hebdomadæ diem incidere, sed voluerunt, vt Dominica die post 14. Luna proxima sequenti coleretur. Nec itè Ecclesiæ acquieuit Pelagianis ingenuè cõfitentibus paruos nō nasci in eo statu, & vitæ conditione, qua fuerant primi parentes ante lapsum, sed voluit, vt aperit forentur eos cū peccato originis nasci. Verbis enim ambiguis vsi illi hæretici deprauati, eludebæ Ecclesiā, intelligentes videlicet paruos nō nasci, in eadē vitæ conditione, & statu: quia nō nascuntur viri adultæ, & perfectæ ætatis, quales erant primi parentes ante lapsum. Quòd si Lutherani, & Calvinistæ permitteretur, vt prædicta vulgari lingua celebraretur officia diuina, postea prædicarent se obtinuisse, quòd volebant, immò Ecclesiā mutasse sententiā, & antiquū morem reliquisse tanquam Scripturis contrariū, errorisq; Ecclesiā infimularent: incredibilem lætitiā, & gaudium exultarent. At Ecclesiā permittit, inquit, vt Alexandrini populi, & Aegyptij Arabicè, diuina officia faciant, Armeni Syriacè, & Morau olim Sclauonicè, Dalmatæ Dalmaticè, & Russi, siue Rutheni vulgari sua lingua, & sermone. Concedo: sed id factum est, quia Alexandrini, Aegyptij, & Armeni, id extorserunt in Græcorum odium, à quibus se iam olim segregarant: Morau verò id introduxerunt, quia ijs, qui apud ipsos Christi Euangelium promulgarunt, videlicet Cyrillus, & Methodius ante sexcentos annos à Romano Pontifice impetrarunt, vt eis rem diuinam facientibus, lingua, & sermone Sclauonij vti liceret, quòd ea gens ipsis auctoribus in Christum Dominū credere cepisset, vt refert Aeneas Sylius, in *historia Bohemica* c. 13. & Cromerus in lib. 3. de *Rebus Polono-rum*: immo, vt ait Sylius, cum quidam Romæ contradicerent, & percerent, ne id Pontifex concederet, audita est vox è calo missa, omni spiritus laudet Dominū, & omni lingua confiteatur ei. Porro non idem iuris est de priuatis precationibus, quas quibus fundit ad Deum, nec de ijs, quæ ad Catechismum spectant: quale est Apostolorum symbolum, salutatio angelica, & cætera Christianæ fidei rudimèta: hæc enim licet Latine saepe tractantur, materna tamen lingua proponi, & addisci solent, quia publica Ecclesiæ officia minime cõferunt. Septimò queritur, An populo catholico liceat hæreticum hominem, aut infidelē in Regem, aut Principem eligere? *Respondeo*, primò



id iure naturali esse prohibitum, quia Principum, & Regum mores solent populi imitari. Vnde olim Deus, cum Hebræorum populo præcepta daret, inter alia prohibuit, ne alterius gentis, quam suæ regem sibi deligerent. Deinde, si Rex hæreticus à populo crearetur, electio iure canonico esset prorsus inanis, & irrita: quoniam omnis hæreticus ipso iure excommunicationem cõtraxit, excommunicatus autem, publicorum munerum, & administrationum capax nõ est, quippè cui interdicitur est omni piorum hominum conuictu, societate, & cõmunione. **QVAERES**, an saltem ob cõmunionè pacis bonum tuendum, & cõferuandum, possit Hæreticus auctoritate Pontificia absolutus, in Regem, aut Principem eligi? **R**espondeo, videndũ esse, an multò magis sit in rem populi hæreticum hominem in Regem non eligi, quam eligi ob cõmune pacis bonum. Item, videndam est, an citius, & facilius Reipublicæ salus, & pax labefacta concidat Hæretico regnante, aut dominante, quam Catholico: in super videndum est, num quamvis polliceatur, & iuret, se permitturum Catholicos pacatè, & quietè viuere iuxta Ecclesiæ ritus, & mores; sit ei fides habenda. Nam qui Dei fidè temerè, nefariè, & impiè perfringit, facile fidem datam hominibus violabit, vt abunde experimenta docuerunt. **ROGABIS DEINDE**, an Rex, vel Princeps in hæresim lapsus, sit ipso iure regno, aut principatu suscepto priuatus? **R**espondeo, minimè, sed regno est amouendus, regno priuandus, ei regia potestas abroganda. **QVAERES**, cuius auctoritate sit regno, aut principatu deijciendus? **R**espondeo, auctoritate Pontificis Romani primùm fieri debere criminis declarationem: nam Hæresis crimen est Ecclesiasticum, in quod Iudex Ecclesiasticus primùm inquirere, & animaduertere debet: post cognitã ab Ecclesiã, & damnatã hæresim lata sententia, populus eadè auctoritate soluitur ab omni vinculo, & nexu fidei, promissionis, & iurisiurãdi, quo Regi parere ante debebat, & deinde potest iure populus, vna cum Procerum cõtũ, Regi regnum, & potestatem adimere, ac in sui patrocinium alios Principes Christianos, & Catholicos vocare, si ad hæc omnia Romani Pontificis publica sententia, & auctoritate accesserit.

**O**ctauo queritur, An fas sit, & Reipublicæ expediat Hæreticos impune permittere, & peregrinas, ac supersticiosas sectas tolerare, vt Iudaismũ Paganismũ, Saracenisimũ? **Q**uidã opinantur id fas esse, & expedire, vt Reipublicæ pacatè, & tràquillè viuant. Nam Helueticj populi pace fruuntur, & tranquillitate, cũ tamen Hæreticos permittant in suis finibus: & olim Christiani, Imperatoribus hæreticis, & Paganis regnantibus, vna cũ Hæreticis, & Paganis permisti viuabant. At verò dicendũ arbitror, innumera mala, & incõmoda oriri solita esse, quãdo in Republica impune toleratur eiusmodi hominũ consortiũ, atq; conuictus: vt experimento satis euidentè cõstat in multis prouincijs, quod si aliquando factũ esse legimus, id mirũ non est, quia res, mores, & tempora aliud non patiebantur: & vbi id nunc impune toleratur, Atheismus, aut Paganismus, paulatim inducitur. At vt plura, & grauiora, & deteriora mala deuentur, aliquando id Principes Christiani permittunt.

## Cap. XXVII.

*De peccatis, quæ contra Fidei confessionem admittuntur.*

**P**incipio queri solet, An qui rogatur ab alio, sit Catholicus, siue Christianus nec ne, eo ipso debeat confiteri, se esse Catholicum, siue Christianum? **A**nimaduertendum est, inter se hæc tria plurimum differre: nam aliud est negare. V. G. Titium se esse Catholicum siue Christianum: aliud Simulare, vel occultare Fidem Catholicam, siue Christianam: & aliud, sectam, vel supersticiosam impietatem profiteri. Deinde sciendum est, posse cõtingere, vt quis, vel verbis, vel factis, vel signis Fidem catholicam abneget, vel occultet. Et proinde, vt sectam alienam totidem quoque modis profiteatur. Primùm queritur de verbis, & factis postea de signis.

**P**rofiteri igitur sectam, aut superstitionem Infidelium quorumlibet, siue verbis, siue factis, est per se peccatum, & quidem graue. **QVAERES**, quid si metu mortis quis profiteatur? Etiam tunc est peccatum, quia est per se, & intrinsecè malũ. Vnde metus mortis minuere ex parte eius deformitatem potest quidem; sed tollere ex toto non potest. **Q**uid si, inquit, ore tenus tantummodo quispiam profiteatur, non corde, & animo? **R**espondeo, eum hæreticum, aut Paganum non esse, quoniam intellectu nihil contra Fidem credit, at verò graue peccatum facit, quia Christi Fidè verbis abnegat. Præterea, si Titius legitime auctoritate publica rogatus, se esse Christianum, vel Catholicum neget, graue peccatũ admittit, tametsi metu mortis, & verbo tenus se talem esse negauerit: nam Fidem negare, est etiam per se, & sua natura malum. Postremò, si Titius publicè, & legitime rogatus, sit Catholicus, siue Christianus, an non; tacerit, ita vt talem se tacendo esse dissimulet, grauius delinquit, quoniam tunc temporis Fidem suam clare, & palam prodere, & confiteri debet: alioqui enim tanquam hæreticus, aut Infidelis censetur: Et cum id negotij publicè transigeretur, pios Christianorum animos offenderet, si tamen Titius clanculum, secretò, vel priuatim ab aliquo rogetur, sit ne Catholicus, Christianusue an non; non peccat, si tacendo Fidem dissimulet, aut occultet; aut si rogantem verbis ambiguis, aut aliò spectantibus eludat: quia is, qui rogat, nullum rogandi ius habet, & proinde qui responderet, minimè obligatur ad veritatem fatendam: vsu tamen venire interdum potest, ex accidenti aliquo, nimirum, ne alij offendantur, vel ne in periculum perfidix deueniant, vt debeat veritatem profiteri, & nequaquam occultare. At verò si Hæreticum, aut Infidelè se esse fateatur, peccat, non solum mentiando, sed etiam hæreticam prauitatem, aut supersticiosam, vel impiã aliam quamlibet sectam verbis profitendo.

**Q**uæres, quid si nomen Christiani, vel Catholici apud aliquos prouincias, solum sit nomen nationis, vel gentis, non autem religionis, an peccet Titius contra confessionem Fidei negando se esse Catholicum, vel Christianum? **R**espondeo, minimè, quia solum negat se esse virum illius nationis, vel gentis, de qua rogatur: velut qui

distingere.



disliteretur se esse Italum, Gallum, Germanum, vel Hispanum.

Secundò queritur, An qui apud hæreticos rogatus, sit ne Sacerdos, sit Clericus, an non? Religiosus, nec ne sit? vtrum audierit rem diuinam? negauerit, se talem esse, vel rem sacram audisse, peccet contra confessionem Fidei? Finge aliquem in Anglia commorari, vbi talia passim Hæretici percunctantur ad explorandum, an quis Romanam fidem teneat, & profiteatur? Respondeo, minimè. Nā si quis neget se esse Sacerdotē, vel Clericū vel Religiosum, non eo ipso negat se esse Christianū, vel Catholicum, vel fidelem, quia sunt etiam Laici, Christiani, & Catholici. Nec refert, quòd id Hæretici sciscitentur rati tales Romanam fidem tenere: quoniam eam quoque Laici profitentur. Quare solum simplex mendacium in huiusmodi negatione inest; & proinde simulare, vel occultare Clerici, vel Religiosi personam, sine mendacio in verbis, ne quis prodatur, ac capite, & vita periclitetur, nullum peccatum est. Immo etiam Titius Clericus, vel Religiosus, si ad vitam tuendam deposita Clerici, vel Religiosi veste se tantum, vt laicum in speciem gereret, amictu laicorum indutus, non grauiter peccaret. Præterea, si precatones solitas, & officia Ecclesiastica prætermittat, quia comodè ea recitare nequeat absq; probabili vitæ periculo, non peccat: quia leges humanæ non obligant conscientias subditorum, cum graui vitæ discrimine, quamuis in certis casibus obligare possint.

Tertiò queritur, An in hospitij liceat Catholico carnes edere temporibus ab Ecclesia interdictis, ne se prodatur tamquam catholicum, & in certum vitæ discrimen veniat? Hoc ideo queritur, quia leges humanæ non afferunt obligationem, quando huiusmodi pericula imminent: ex altera verò parte videtur hic Catholicus omnino peccatum admittere contra confessionem Fidei, si ponamus, in huiusmodi hospitij eos, qui carnis vescuntur, hæretici eos cenferi: tunc enim qui carnes edit, factò ipso se hæreticum esse, profiteatur: paulò ante diximus, sectam Hæreticorum, vel Paganorum verbis, vel factis profiteri, esse per se malum, quòd metus etiam mortis non excusat. Respondeo, in primis à carnibus abstinentem aliquem Catholicū, quamuis ab hospite oblatis, eò quòd prætextat, & simulet aliam causam, & rationem longè à religione diuersam, nõ peccare, nec confessioni Fidei repugnare, quia solum religio simulatur, aut celatur. Deinde, in carnis edendis ob vitæ periculum declinandum, non videtur graue peccatum admitti: nam carnum usus per se non est infidelitatis, perfidieque, aut prauitatis hæreticæ professio, sed res est per se media, & indifferens: ex accidenti verò Hæretici talem usum trahunt ad signum perfidie, aut hæreticæ prauitatis: Catholicus autem nulla lege compellitur, cum probabili suæ vitæ discrimine, ad abstinentium eiusmodi signis, quæ Hæretici maligino animo sibi præstituant, vt symbola suæ hæreticæ prauitatis, atque perfidie.

Quartò queritur, An Catholico, vel Christiano per Hæreticorum, vel Paganorum prouincias atque oppida transeunti, liceat salutis causa sese occultare, eorum vestes induendo, aut lingua, &

Sermone vtendo? Sciendum est, vestem, vel signum, quo nationes, vel gentes vti cõstauerunt, aliquando Symbolum esse nationis, aliquando sectæ, & religionis. Variæ enim gentes vario vestimento vti genere vt solent. Caietanus, 2. q. 3. a. 3. docet, nunquam licere Christiano, etiam metu mortis, vti veste, vel signo Infidelium, quandounque lege, vel consuetudine, vel Principis iussu receptum est, vt qui certam sectam, & religionem profitentur, vtantur eo genere figoi. At alij dissentiunt, asserentes id esse licitum facere, imminente mortis periculo, & omni aliorum offensione femora.

Mihi hoc probabilius videtur: Nam quemadmodum licet Christiano per Paganorum loca transeunti, vti sermone, & lingua ipsorum, vt sibi necessaria vitæ subsidia comparat, sic etiam eidem fas est, vti veste, & symbolo Infidelium. Nam vt sermone illorum, non est per se sectam eorum profiteri, nec propriam religionem abnegare, eò quòd sermo, & lingua tantum modo nota, & signum nationis, & gentis, non symbolum religionis est. Præterea, eiusmodi vsus est omnium hominum communis: nam & ipsi Infideles, & Pagani, vt se simulent, & occultent, vt solent sermone nostro. Quo fit, vt omnes nationes intelligant alienæ linguæ, & sermonis vsus de more adhiberi ad vitam inter externos conferuandam, & tuendam. Veste insuper, vel habitu Infidelium vti, non est per se eorum sectam, & religionem profiteri, quia res est per se media, & indifferens.

Obijcies cum Caietano, saltem secundum morem, consuetudinem, & legem receptam, apud Paganos esse signum religionis, & sectæ? Respondeo, nequaquam inde colligi, esse per se malum, sed ob scandalum, & periculum aliquorum, quo sublato, nullum peccatum est metu mortis impendente: nam alioqui ea veste, & habitu vti, qui vellet, proculdubio peccatum non euaderet. Adhuc oppones, Rogante Principe, vel Republica cuiusnam religionis situs, negare nos esse Christianos non licet: sed quando more, & lege recepta apud Paganos, certum vestimenti genus est eorum superstitionis religionis, & sectæ symbolum, perinde est, ac si publica Paganorum auctoritate rogaremur, quam religionem profiteamur? Respondeo, non esse idem iuris de verbis, quòd de signis, & vestibus; nam verba, quibus inficiatur quis se esse Christianum, aut se esse Paganum, vel Iudæum, omni ambiguitate carent: at verò vestes, & signa, quæ in rebus, & factis consistunt, non vniam tantummodo rem significant, sed plures: quoniam ad multa vestes, & signa adhibere consueuimus. Vergebis: Quemadmodum voces ex institutione hominum, vniam tantum rem designant, sic etiam, licet vestes, & signa per se multa denotare queant, vniam tamen ex more, lege, & instituto Paganorum significant. Respondeo, inter voces, & alia signa magnum esse discrimen. Nam voces postquam hominum placito sunt institutæ ad aliquid significandum, vniam tantummodo significant; at vestes, & alia signa, etiam postquam sunt adhibita ex more gentis, & instituto ad sectam, vel religionem

profitem-



profitemdam, sunt adhuc ambigua: quoniam sunt symbola, vel religionis, & sc̄ctæ, vel nationis, & gentis.

**Quinto quæritur**, An ubi Catholici, vna cum hæreticis versantur, licitum sit Catholicis adire templa, ad quæ hæretici conueniunt, eorum interesse conuenientibus, atque concionibus? **Respondeo**, si rei naturam spectemus, id non esse per se malum, cum sit res suapte natura indifferens: nam multis de causis potest quis hæreticorum templum ingredi: & conuentibus eorum, & concionibus interesse, vt facilius, validius, & commodius eorum confutet errores. Ex accidenti tamen peccatum est, si id fiat cum aliorum offensione, aut periculo nostro, vel alieno. **QVAERES**, quid si alicubi more, aut opinione hominum communi receptum sit, quodlibet istorum esse symbolum hæreticæ perfidiæ, an Catholicus ea tunc euitare debeat? **Respondeo**, debere, ob scandalum vitandum. Sed quid si Princeps hæresi laboret, & iubeat ciues, tum Catholicos, tum hæreticos templa adire, atque etiam frequentare, in quibus publici hæreticorum conuentus celebrantur, & conciones habentur. & id imperat Princeps conflictura poena publicationis bonorum, vel mortis? **Respondeo**, si id Princeps iubeat, quoniam vult, vt suo mandato omnes obediant, id esse licitum Catholicis facere: nam in eo solum obedientiæ officium Principi debitum præstant. Si tamen id præcipiat, vt eo tanquam religionis symbolo prauitatem hæreticam simul profiteantur, & vt Catholici discernantur ab hæreticis, nequaquam esse licitum parere his Principis iussis; quoniam ceteri proculdubio Catholicis offenderentur: deinde eo ipso tacite hæreticam perfidiam, seu prauitatem profiterentur: **QVAERES**, an tunc liceat Catholico suo Principi obedire, publicè asseuerando se id solum efficere, vt suo Principi pareat, non autem, vt sc̄ctam hæreticam profiteatur? **Quidam** id licere arbitrantur, ne eius bona publicentur, & ne ei vita auferatur: quod sanè probabiliter dici videtur. Ea enim publica restitatio, Catholicorum offensionem, & periculo consilii, & iniquam Principis vexationem iure declinat.

**Sexto quæritur**, An Catholicis, Christianisue cum hæreticis, vel Paganis belligerantibus, fas, inique sit suis vexillis aspergere certa quædam signa, quibus hostes videntur, vt sic, vel interitum effugiant, vel eos certè incautos vincant, & capiant? **Respondeo**, esse licitum id facere, siue nauali, siue terrestri bello res agatur. Nam hoc nihil aliud est, nisi quoddam insidiarum militarium genus. Et quemadmodum in ludis solent esse iusta certæ quædam fraudes, in eis vilitate, & colludentium inter se communes, & proinde absque peccato: Ita etiam in bello militares insidiæ culpa vacant, quia sunt stratagemata æquè vtrique parti communia. **ROGABIS**, quid si Paganorum signum, sit sc̄ctæ, & religionis superstitiosæ symbolum? **Rateor** esse peccatum eo vti, puta si esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, quos pro dijs stultæ, & insanæ gentes coluerunt. Si tamen signum sit res per se indifferens, ita vt tum nationis, & gentis, tum fal-

sæ religionis, & sc̄ctæ signum esse queat, nullum erit peccatum eo vti. Quo fit, vt in comedijs, & tragœdijs, quæ populo exhibentur, liceat vti habitu Infidelium, quantumlibet sit peregrinæ, & vanæ religionis symbolum: quia tunc res agitur non seriò; sed ficta personarum representatione: atque id eo sensu, prudentes quoque spectatores, & auditores accipiunt, & interpretantur. Præterea ex prædictis perspiciatur, eum grauiter peccare, qui in gratiam Paganorum, deorum fallorum, & inanum, quos ipsi venerantur, simulachra, vel imagines depingeret, vel statuas faceret, vel delubra, & fana construeret: quia horum singula per se ad probandam superstitionem, & impietatem, cui sunt consecrata, valent.

**Septimo quæritur**, An seruo Christiano apud Paganos captiuo liceat in eorum templis genua flectere, obsequium, & officium suo Domino genua submittentem debitum præstando, quò cum incursum sustinet? Nam ex vno capite id non esse licitum videtur, quoniam Nahaman opera, & ministerio Elisæi curatus à lepra, ardentè postulauit ab eo, vt Deum suum precaretur: *Quo, inquit, mihi ignoscas, si adorauerim in templo Remon, Domino meo adorante.* Ex altero capite id videtur licitum esse facere, quia in eo seruus tantummodo suo officio, & munere fungitur. **Respondeo**, ius esse seruo, id facere: nam, dummodo seruus nullum cultum Idolo tribuat, tunc potest suo Domino inferuire; id enim officij præstare solet Domino suo, tum in templo, tum extra templum: quemadmodum etiam Christiani ancilla à Paganis capta, & caudam vestis dominæ suæ gestare solita, tuta conscientia genua flectit, vna cum dominâ in templo Idolorum genua flectente, & sese prosternente, quia id quoque facere vbiq; consuevit. Quorsum igitur, inquires, si id est licitum facere, petiuit Nahaman, vt ipsi Deus ignosceret? **Respondeo**, dubium fuisse Nahaman, vtrum iure posset, id obsequij genus domino suo Idoli cultori præstare, immo fortassis verebatur, ne id graue peccatum esset; & proinde impensè postulauit, vt Elisæi precibus id iuris sibi à Domino concederetur. Elisæus autem nequaquam soluit eum lege diuina, neque enim poterat in eo, quod est per se, & intrinsecè malum, lege aliquem soluere, & excipere; sed concessit ei rem sua natura indifferentem, quam tamen ipse anceps animi, tanquam bona mente præditus putabat, aut etiam verebatur esse interdictam, Deoque proinde odiosam, ac detestabilem: quod Abulensis, & Lyranus prudenter obseruarunt.

**Octauo quæritur**, An certo aliquo tempore iustus præcepto compellatur ad eliciendum actum credendi? **Respondeo**, semper esse obligationem præcepti, ne aliquid contra Fidem credamus, aut profiteamur. Præterea, præceptum Fidei obligationem inducit, vt impius, siue infidelis credat, cum primum fuerit sibi Euangelium Christi idoneè, & conuenienter annunciatum. Deinde, impius, quo tempore, præcepto cogitur ad meliorem vitæ frugem per veram peccatorum detestationem conuerti; cogitur quoque ad actum Fidei præstandum: tunc enim de peccatis

4. Reg. 5.

peccatis



peccatis dolere debet, Deum amare, criminum veniam petere: sed hæc efficere nequit, nisi fidei actum eliciat. At verò postquam venia impetrata in Dei gratiam, & amicitiam redijt, interim dum eam seruat, & retinet, minimè obligatur ad actum fidei eliciendum. Nam credendi præceptum est à Deo constitutum, vt præsidium, & remedium ad iustificationem impij; ergo iustitiâ, & gratiâ obtentâ, cessat obligatio præcepti: At ratione spei, pœnitentiæ, vel charitatis aliquando suam vim habet.

Postremò est animaduertendum, inter peccata, quæ contra Fidem admittuntur, connumeratam esse Blasphemiam, siue maledictum in Deum, eo quòd sit crimen, quo aliquid verbis contumeliosis Deo, vel Sanctis cælestis patriæ civibus tribuitur, quod in ipsos minimè quadrat, vel aliquid detrahitur, quod ipsorum est proprium, eisque conveniens. Ex quo colligit S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. Blasphemiam esse peccatum, quod contra Fidei confessionem perpetratur. At verò nos putamus, blasphemiam in vniuersum Religioni aduersari; quia est peccatum, quo maledicta, & contumeliosa verba in Deum, vel Sanctos in cælo regnantes conijcimus: & ideo de Blasphemia differemus, cum de Religione, & peccatis cum ea pugnantibus infra tractabimus.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI, E SO-  
CIIETATE IESV,

INSTITVTIO-  
NVM MORALIVM,

LIBER IX.

DE SPE, CHARITATE, ET  
Religione in Deum.

CAPVT PRIMVM.

*Quid de Spe, virtute nempe Theolo-  
gica tenendum sit.*

**P**RIMO queritur, Quot modis accipiatur Spes? Respondeo, duobus: Primò, vt pertinet ad appetitum sensus, & sic est affectio quædam animi, qua bona futura, ardua, & difficilia ex certa quadam fiducia cupimur, & expectamus: Vt enim timor, est mali futuri, sic Spes boni futuri expectatio. *Altero modo* accipitur Spes, vt spectat ad appetitum rationis, quæ est voluntas: & tunc, aut sumitur pro re ipsa, quæ speramus; de qua Apostolus: *Exspectantes, inquit, beatam spem;* & Spes, quæ videtur, nõ est spes. Aut pro actu sperandi, de quo idem Apostolus: *Spe gaudentes: rursus, Spe salui facti sumus:* Aut pro habitu, quo ad sperandum sumus propensi. Quando est actus voluntatis, accipitur etiam du-

plicitate. Primò, fusiùs, & latius, prout est cuiuslibet boni, siue cælestis, & æterni, siue terreni, & caduci, difficilis, & ardui, & futuri expectatio: *Deinde* strictius, & presius, vt est desiderium cuius certa fiducia futurorum bonorum, cælestium, & æternorum, videlicet diuinæ gratiæ, & gloriæ, & aliorum, quæ sunt nobis à Deo promissa.

Secundò queritur, An Spes, vt est habitus, sit verè, & propriè virtus? Durandus in 3. dist. 26. q. 1. quemadmodum censet in 3. dist. 23. q. 6. Fidem non esse propriè virtutè: sic etiam nec Spem. Id probat, quia virtus propriè sumpta, afficit hominè, cui inest, simpliciter, eumque ad optimum actum dirigit, ornat, ac perficit: nimirum si est virtus rationis, & mentis, dirigit hominem ad verum, certum, clarum, & euidentem: Si est virtus appetitus, ad bonum, quod habetur. At quemadmodum Fides est veri, quod nõ clarè, sed obscure cognoscitur; ita etiam Spes, est boni, quod non habetur: ergo nec Fides, nec Spes sunt virtutes, siue sint à Charitate seuinctæ, quas Theologi informes appellant: siue cum Charitate connexæ, quas virtutes viuas, & formatas vocant. Ait tamen Durandus Spem esse virtutem latè sumptam, vt virtus vocatur, quilibet habitus laudabilis nos ad bonum mouens, ac ducens. Caietanus 2. 2. q. 17. art. 1. existimat Spem sine charitate nõ esse propriè, & simpliciter virtutè, sed cum charitate coniunctâ verè esse, & propriè virtutem. Alij S. Thomæ discipuli cõsentent spem absque charitate esse quidem propriè virtutem; sed non simpliciter, cum charitate tamen esse, & propriè, & simpliciter virtutem: quoniam nulla, inquit, sine charitate potest virtus simpliciter consistere, cum omnium virtutum charitas sit forma, & veluti anima, & vita. *Verior tamen est eorum sententia*, qui putant Spem esse verè, propriè, & simpliciter virtutem, per suam substantiam, & naturam, siue sit cum charitate sociata, siue ab illa disincta: neque enim ad virtutem requiritur, vt hominem referat, & dirigat ad actum simpliciter optimum; sed ad actum optimum, quem potest: Et ideo Fides diuina, est virtus, quia semper est veri: fides humana non item, quia potest esse falsi. Spes quoque diuina, est propriè virtus, quia semper est boni; & quatenus Dei promissis, & eius gratiæ, & charitate innixa fulcitur, summum bonum, quod sibi propositum habet, & quod cõcupiscit, quod expectat, & in quod intendit, certò consequitur, licet consecutionem eius homo per peccatum impediatur. Spes verò humana, actus, vel habitus esse quidem potest, virtus esse non potest; quia nõ semper est boni. Nam malum, quod opinione hominũ putatur bonum, aliquando sperat, nec certò semper suum, quod optat, & expectat bonum, adipiscitur. Charitas autem non est virtutum intrinseca forma, sed extrinseca, quæ facit, vt studia, & opera nostra bona, vitam æternam mereantur.

Tertio queritur, An Spes sit virtus Theologica? Respondeo, eam tribus de causis virtutem Theologicam dici, vt docet Scot. 3. dist. 26. q. 1. *verj Respondeo non omnis.* Primò, quia circa Deum versatur, tanquam circa rem, & materiam sibi proximè obiectam. Deinde, quia Deo innititur tanquam norma, & regula, qua certò dirigitur. Postremò, quia est habitus diuinitus infusus. Virtus igitur

Theolo

Tit. 2.  
Rom. 8.  
Infrat. 2.  
Supra 8.